UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Dominica Paschatis: Homilia Qvadragesimaoctava. De gloriosa resurrectione Domini. Maria Magdalene & Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vagerent Iesum. Marc. 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

# SVMMARIVM

## HOMIL. QVADRAGESIMÆ OCTAVÆ SEQVENT.

DVo notantur in hac Homilia. Primum, neceſſitas Dominicæ Reſurrectionis. Secundum, eius veritas, quam Dominus confirmauit. Neceſſaria fuit Reſurrectio Domini, vt cum illa & per illam probaret ac definiret fidei veritatem, quam de Diuina ſua perſona, & cœleſtibus myſterijs prædicauerat. *a.* quam remiſerat confirmandam in Reſurrectione ſua aſſignans illam Iudæis vt ſignum irrefragabile, quando ab eo ſigna petierunt, figuratam per hiſtoriam Ionæ. *b.* quæ pluribus mirisque ſcatet circumſtantijs. *c.* quas omnes Chriſtus in morte ſua ac Reſurrectione confirmauit & impleuit. *d.* Probat ſuam Dominus Reſurrectionem manifeſtis multiſque argumentis, ſe viuum oſtendens, & pluribus apparens, & vna vice quingentis ſimul exiſtentibus. *e.* Verùm primò omnium Sanctiſſimæ ſuæ Matri rediuiuus apparuit. *f.*

§. 1. *Reſurgens Chriſtus definiuit & confirmauit fidem argumento longè fortiori quàm Sacerdotium Aaronis virga illius germinatione.*

§. 2. *Chriſtus in Reſurrectione ſua primariam comprehenderat perſonæ ſuæ confirmationem: vnde fuit illa neceſſaria.*

§. 3. *Duodecim circumſtantiæ notantur in Iona, & omnes plenæ myſterijs, quibus Chriſti Reſurrectio ſignificetur.*

§. 4. *Conueniunt Chriſto ſeptem illæ primæ circumſtantiæ in Iona præfiguratæ.*

§. 5. *Deſcendit Dominus ad inferos aliò longe modò, quàm Ionas ad cauernas pelagi profundiſſimas.*

§. 6. *Deſcendit Dominus ad omnes inferni carceres ſed diuerſimodè ad hos & alios.*

§. 7. *Non potuit mors Chriſtum digerere ſicut nec cetus Ionam: vnde ſe ventre eius egreſſus eſt ſecum SS. Patres de limbo educens.*

§. 8. *Multi Sancti cum Chriſto ſurrexerunt & quinam illi fuerint declaratur.*

§. 9. *Chriſtus Reſurrectionem ſuam legitimè probauit apparens in monte Galilææ.*

§. 10. *Primò omnium apparuit Dominus Matri ſuæ Sanctiſsimæ à mortuis rediuiuus.*

# HOMILIA XLVIII.

## DOMINICA PASSCHATIS.

### De glorioſa Reſurrectione Domini.

*Maria Magdalena & Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Marci 16.

IAM tandem aliquando per Dei miſericordiam ad optatum perueni mus triumphalis & glorioſæ Reſurrectionis diem, diem lætitiæ, tantæque exultationis, & gaudij vniuerſalis vt Eccleſia duplicans Alleluia, per hoc cœlum, terram, omneſque inuitet ad gaudia creaturas: *In Reſurrectione tua Christe Alleluia: Cœli & terra lætentur alleluia.* Si dicitur illa quâ natus ex vtero virginis Dominus quamuis ad vitam naſceretur mortalem, paſſurus & moriturus, gloriæ cœleſtis incolæ cœlum terramque ad iubilos hortati ſunt ineffabiles, illudque ſolemne cantârunt canticum, quod ad noſtram conſolationem manſit in mundo perpetuum: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* quid de hodierno die ſentiendum ait D. Ambroſ. quo naſcitur de ventre terræ, non denuo moriturus, ſed immortalis & glorioſus, victurus ſemper & regnaturus? ſi tunc Angelus mundum ad gaudium inuitauit immenſum, quia natus fuerat Saluator, opus noſtræ redemptionis perfecturus pœnis ſuis infinitis triſtitia non explicabili, & copioſiſſimis lacrymis, ac propterea voce clamauerit altiori; *Annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo quia natus eſt vobis hodie Saluator.* Quanto potiori iure poteſt S. Mater Eccleſia ad gaudia nos monere feſtiuiſſima hoc die, quo natus eſt Saluator de ventre terræ, non iam Redemptionem noſtram operaturus, ſaluteſmque daturus patiendo & moriendo, ſed iam perfectam, conſummatam impletamque annuntians, & ab omnibus liber doloribus ad auras egrediens, de his omnibus, imo inferno ac morte celeberrimum agens triumphum, noſtras abſtergens lacrymas, ſuoſque lætitia replens ineffabili? Iuſtum eſt vt huius diei veneranda ſanctaque lætitia diei Veneris præteriti dolendæ nimis triſtitię, fletibuſque reſpondeat; vt cum Dauide Deo concinamus: Pſ. 93. 19.
*Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Per reuelationem accepit Sācta Birgitta (ſunt autem eius reuelationes prægrandis auctoritatis, examinatę à Concilio Conſtantienſi) quod dum Chriſtus in Paraſceue moreretur in cruce, omnia quęcumque viuentia, triſtitiam ſenſerint grauiſſimam: & quâ hora mortuus eſt Dominus tanto cuncta dolore perculſa ſunt, ac ſi pugionis fuiſſent ictu transuerberata, vt vnde tantâ torquerentur pœna penitus ignorarent. Et hoc quidem ſatis congruè, vt oſtenderetur quòd Chriſto exſpirante; omnium vita moreretur. Quando moritur homo, omnes concidunt ſenſus, omnia corporis membra collabaſcunt; etenim mors hominis, mors eſt eorum omnium vniuerſalis. Chriſtus Dominus noſter vita eſt ex quo omnis noſtra dependet, & in eſſe ſuſtinetur.

I. Omnes creaturæ in morte Chriſti dolore perculſæ ſunt.

Elegranter Hieremias in Lamentationibus ſuis triſtem hanc decantauit threnodiam: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis* Thren. 4. 20.

*noſtris, cui diximus in umbra tua viuemus.* In ſpiritu loquitur de Chriſto Domino noſtro iuxta communem SS. ſenſum, ſiquidem ad litteræ corticem mortem deplorabat ſanctiſſimi Regis Ioſiæ, & illi ſoli quadrat nomen quod illi adſcribit: quia licet nomen *Chriſtus* commune ſit Regibus & Sacerdoti-

1. Reg. 16. 11. bus, nemo tamen eorum dictus eſt, *Chriſtus*

2. Reg. 1. 14. *Dominus*, ſed ad ſummum Chriſtus Domini, quo nomine Dauid Saülem honorauit, dum oſtendit ex ratione eſſe eam reuerentiam quam illi licet peruerſo deferebat. Hoc ſpectabat Angelus, quando læta mundo nuntians atq; ad gaudia non communia cohortatus eius declarabat rationem quia ille qui naſcebatur, erat ipſe Dei filius, & vt hoc apertè demonſtraret, aiebat *Natus eſt vobis Saluator qui eſt Chriſtus Dominus*. Et vates Hieremias ſubtiliter vt clare nobis exponeret, quis eſſet hic Saluator, eum inſcribit: *Spiritum oris noſtri*. Myſterioſum

II. Christus dicitur ſpiritus oris noſtri. eſt hoc Epithetum: halitus, ſpiritus & oris noſtri reſpiratio, vita & ſpiritus eiuſdem: quia vita noſtra pendet à reſpiratione & halitu quem ore attrahimus: itaque idem eſt vocare Chriſtum Spiritum oris noſtri, ac vocare

Colloſ. 3. 4. eum cum Apoſtolo Paulo: *Chriſtus vita noſtra*. Mortua eſt vita noſtra pro peccatis noſtris *Captus eſt in peccatis noſtris*. Comprehendit illum & deglutiuit propter noſtra flagitia cetus mortis, cum ipſe vita eſſet communis vniuerſi, neceſſarium videtur vt ipſo deficiente, cuncta nubibus obtegantur, terra contremiſcat, cœli obtenebrentur, ſepulchra aperiantur petræ conſtringantur, ſuper omnes creaturas nigerrimum & triſtiſſimum velum irruat

Luc. 23. 34. tenebrarum: *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*, potiſsimum autem ſuper corda mortalium, cum omnes mœrore collapſi ſint, vt ſenſus corporis collabuntur, his quibus vita deficit & extinguitur.

Igitur ſi moriente hac vita, ex qua omniũ noſtra dependet, tam iuſtos omnes mœror oppreſsit, cum hodie vitam hanc recuperet vita, & vita hæc reſurgat tantò perfectior, quanto differt à morte vita, à pœna gloria, ratio ſuadet vt ſequatur vniuerſale adeo gau-

Pſ. 95. 11. dium illis omnibus, qui ab hac vita dependẽt, nempe toti vniuerſo vt *Lætentur cœli, &*

Pſ. 117. 24. *exultet terra*. Sitque ille dies lætitiæ & exultationis, vt ſæpe carmen hoc Dauidicum cum Eccleſia repetamus: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*; quia dies eſt gloriæ Reſurrection. S. D. Ambroſius explicans prædicta verba, ſic ait agens de Reſurrectione Domini, quòd pergẽtibus mulieribus vt Chriſtũ reperirent in ſepulchro congruenter Euangeliſta dixerit; *Orto iam ſole*. Eius rationem verbotenus audiamus: *Nam & ſolem ipſum oriri in hac die ſolito clariorem: neceſſe eſt enim vt in eius Reſurrectione gaudeat, in cuius paſſione condoluit. Et cuius mortem lugubri quadam caligine proſecutus eſt, eiuſdem vitam ſolito lucis ſplendore ſuſcipiat. & tanquam bonus miniſter, ſicut tunc obſcuratus eſt ad exequias ſepulturæ, modo coruſcet in Reſurrectionis obſequium; in paſſione enim Chriſti caliginem & noctè circumdedit. & Iudæorum facinus mundo teſte congemuit: indicium enim quoddam doloris in ſole eſt, tanto ſceleri officium luminis denegaſſe. & vltione quadam Iudæorum oculis tenebras infudiſſe, vt quorum mentes cæcitas inuaſerat, eorum oculos cæcitas occuparet, nec luceret iis mundi lumen, à quibus fuerat lumen ſalutis extinctum*; Feſta ſint iucunda, lætumque Chriſti Paſcha, illudque cunctis ter magnus & ſemper glorioſus infundat triumphator, & ita feſtiuum, quale ſanctæ ſuæ largitus eſt ſocietati, omnibuſque ſuę ſcholę diſcipulis: idque indubiè nobis eueniet. ſi noua hæc lætaque nuntia cœlorum Reginæ deferamus, quæ tanta repletur exultatione, vt gaudij pelagus effecta riuos effundat lętitiæ, feſti & exultationis vberrimos qui ei conueniunt de filio te ſuo gratulaturi. Felix fauſtumque tibi Deus Paſcha largiatur ô cœli terræque Domina: Felix fauſtumque ſit tibi Paſcha mater triumphatoris rediuiui glorioſi, illo fruere, eiuſque vita illuſtriſsima per infinita ſęculorum ſęcula. His è conuerſo nobis gratię & lętitiæ dona profluant quę ab ipſa poſtulamus eam ſalutantes: *Aue Maria*.

§. I. *Reſurgens Chriſtus definiuit & confirmauit fidem, argumento longè fortiori, quam Sacerdotium Aaronis virgæ illius germinatione.*

SIngulari quadam proprietate ille qui hanc habet per excellentiam dum myſteria tractat noſtrę Religionis Chriſtianę profundiora, D. inquam Auguſtinus, vocat myſte-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rium Reſurrectionis Domini, quod modo celebramus, noſtrę fidei definitionem, quia per illam fides noſtra definita fuit & confirmata: *Antequam Chriſtus reſurrexiſſet à mortuis, nondum fuerat fides definita: in Reſurrectione quippe Chriſti definita eſt.* Illa dicitur definita veritas, quę poſt multas grauesque difficultates & diſputationes, ita certò tutoque defin tur, vt ita certa veraque ſit, vt nullum amplius circa illam dubium oriatur. Hoc termino vtimur, quando Romanus Pontifex caput Eccleſię Catholicę viſibile, & SS. Concilia eius actoritate congregata, poſt euentilatam aliquam difficultatem, illam cum aſsiſtentia Spiritus S. infallibili definiunt, tunc dicimus: illam definiunt, ideſt tanta illam certitudine concludunt, vt nullus amodo detur locus ambigendi, circa eiuſdem veritatem. Myſterium hoc (ita D. Aug.) ſingulare Reſurrectionis Domini fidem confirmauit, id eſt ita veram eſſe concluſit ac reſoluit, vt iam nullatenus ſit de illa dubitandum. Et notat præfatus doctor, hanc phraſim de ſuo non eſſe cerebro formatam, ſed Spiritu S. dictante inuentam: hanc enim ore protulit magni ſui Apoſtoli Pauli in concione illa celebri Athenis habita, gymnaſium hic erat ſapientiæ toto orbe notiſsimum, vbi Reſurrectionem Domini proponens, ſic ait: *Deus definiuit fidem omnibus reſuſcitans Ieſum à mortuis.* Ita legit D. Aug. ſicut etiam D. Ambr. conformiter ngoti textus Gręci, quod noſtra vulgata habet: *Fidem præbens omnibus, reſuſcitans eum à mortuis;* Hoc myſterio fidem noſtram aſſeruit, conclusit & definiuit, & ratio eſt: quia omne fidei fundamentum huic innititur veritati, quod Ieſus Chriſtus Dominus noſter, verus ſi ius Dei, humanamque carnem aſſumpſerit nos redempturus. Ad huius confirmationem aquila illa cœleſtis D. Ioan totam ſuam direxit ſcripturam, & quæ in ea refert miracula: *Vt credatis, quia Ieſus eſt filius Dei.*

II. Præcipuam huius probationem comprehendit Chriſtus in Reſurrectione ſua: hanc etenim ſingulariter promiſit, quâ illam confirmaret, & ſicut ſi illa non accidiſſet tota fides, & quidquid ipſe prædicauerat, in nihilũ labebatur: ita ſimiliter illam hæc aſſerens, hanc omnino confirmauit, aſſeruit, & comprobauit. Si quis in vrbem hanc appelleret, diceretque ſe Principem eſſe, Regis primogenitum, Regnorum heredem, & habitu prodiret lacero & abiecto, paupertate preſſus & inopia, fidem illi nequaquam adhiberes: verum ſi ad eius confirmationem regia quædam proferret ſpectanda monilia pretioſiſſima, & die quodam prodiret in publicum veſtibus ornatus adeo ſplẽdidis vt dignitatis perſonæ ſuę apertiſsima daret indicia, & alio ciſtas aperiret, auri & argenti produceret gazas, atque ex illis cuilibet carpendi quantum vellet plenam tribueret facultatem, iam hoc tibi fidem adſtrueret pleniorem. Si qui tãdem ad illum accedẽtes ſigna huius poſtularent ſibi monſtrari præclariora, talia quibus illis plenè ſatisfieret, diceret autem hoc dabo ſignum ſingulare; die Dominicâ proxima videbitis me prodeuntem de domibus ciuitatis, regalibus ſplendidum purpuris, tota ſtipatum nobilium catervâ priuilegium oſtentãtem autenticum, ab ipſo Rege firmatũ, ſuſpenſis hinc inde munitũ ſigillis; elucescente autem Dominica, dum hunc anhelus exſpectas egreſſum, nõ appareret, nec quidquã de illo intelligeres, niſi hoc quod in ſpelunca abſcõditus lateret veſte ſqualida contemptibilis; omnibus quæcũque dixiſſet fidem derogares, atque vt impoſtorem exploderes. Porro ſi promiſſis ſtaret, & præſtituto die, Regia foras egrederetur a ctoritate conſpicuus, omnibus Regni proceribus ac magnatibus circumcinctus, ſuſpenſa demonſtrans ſigilla, & regiam confirmationem legitimam cunctiſque notiſsimam, tunc quæ dixiſſet forent ita rata ac definita, vt nullum tibi quoad hoc dubiũ in corde remaneret.

III. Similitudo

IV. Chriſto applicatur.

Hoc Chriſto Domino noſtro contigit. Venit & apparuit in mundo pauper, indigus, & humilis: aſſerit tamen ſe verum eſſe Dei filium à Patre æterno miſſum, mundo Saluatorem. Ad huius aſſertionem nonnumquam regia illa produxit monilia diuinæ poteſtatis inſignia, reſuſcitando mortuos, illuminando cæcos, leproſos mundando. Die quodam ſplendidis adeo veſtibus enituit glorioſus, vt in ſuorum cordibus hanc adſtrueret veritatem. vt facies eius ſolis indueret ſplendorem, & veſtimenta eius candori niuis eſſent æqualia cui comites adſtiterunt viri illi celeberrimi, habiti omnium ore ſerui ſeniores. Dei pie domus fideliores, Moyſes & Elias. Altero die ciſtas diuinæ ſuæ perſonæ reſerauit cunctiſque tribuit licentiã manum quibuſlibet iniiciendi, & gemmam quam optarent, eri-

Luc 6. 19 piendi: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.*

5 Confirmationes erant hæ eiuſmodi, vt illi qui oculos haberet, plus æquo ſufficerent: nihilominus plures erant quorum quantò præclariora erant opera, tantò contumacior erat infidelitas. Illi non contenti ſignis quæ videbant, vt rem crederent adeo prodigioſam, quòd ille homo verus eſſet filius Dei ac naturalis, acceſſerunt illum, non ſemel ſed quater ſolemni quadam inſtituta legatione, quod ſi vellet, rem de illo crederent adeo ſingularem, ſignum daret adeo excellens vt huic aptè conueniret: quamuis enim nonnulla patraſſet mirabilia, tamen minimè his acquieſcerent: cum quibuſdam ex illis hæc viderentur impoſturæ & virtute patrata diabolica: ac omnibus illis eſſe minora & haudquaquam tantæ rei proportionata perſuadendæ: quamuis fuiſſent miracula, cenſebant illi, quòd ad illa prodigioſa ſigna non accederent, ab alijs facta prædeceſſoribus Samuele & Elia, qui ſigna de cœlis oſtenderunt, excitantes tonitrua, fulgura, & ignem de altiſſimis in terram deducentes, vt viri qui poteſtate fulgebant totâ terra ſuperiori, ſed nec idcirco ſe Meſſias ſiue filios Dei naturales promulgârunt: vnde non ſemel ſed quater animo peruerſo, velut illi ad quos huius ſpectabat confirmatio, viſis nonnullis miraculis, illa vilioris habuerunt, & maiora nouaque perfidi poſtularunt: *Volumus à te ſignum videre.* Poſtulant ſibi *Signum* in ſingulari, q. d. ſignum adeo inſigne, vt congruum ſit ad perſuadendum rem ita cœleſtem & diuinam, qualem ipſe credendam proponebat: q. d. licet opera, quæ feciſti, probemus vt miracula, minoris tamen ſunt dignitatis & auctoritatis vt fidem ijs quæ promulgas adhibeamus: ſunt miracula minima in diminutiuo, (a) & ad ſummum quæ perſuadere ſufficiant quòd ille qui talia operatur, ſanctus ſit & Propheta: & ita talia fecerunt, & alia de cœlo præclariora nonnulli qui tantum hoc lucrati ſunt, vt ſancti haberentur & Prophetæ, vt verò nobis perſuadeas, fidemque adſtruas te ſanctum eſſe ſanctorum, neceſſariò requiritur, vt opus efficias aliquod illis omnibus quæ facta nouimus ab alijs multò ſuperius, & tale fieri poſtulamus.

V Iudæorum peruicacia.

Matt. 12. 38

(a) Milagros de ciē to en libra.

Fuit hoc peruerſum illud pallium quo conabantur Chriſti miracula denigrare, ſemper aliquod requirentes adeo præclarum vt cetera omnia præcurreret quæ fuiſſent ab alijs omnibus exhibita. Dominus autem ſemper quando hanc illi petitionem proponebant, nedum non illorum poſtulata [illegible], ſed inſuper illis annuit promittens ſignum & miraculum ita præcellens omnibus, vt illud non tantum purus homo non feciſſet, ſed nec poſſibile eſſet niſi illi qui eſſet etiam verus Deus, quale fuit eius Reſurrectio. Sic prima fecit in Exordio prædicationis ſuæ, prima Paſchate, in quo ſeipſum mundo cœpit manifeſtare; nam poſtquam de templo mercatores exturbaſſet illud prophanantes, flagris inter illos cædendo (vt dicit D. Anacletus Papa) nonnullos ex Principibus, ſacerdotibus & vrbis primoribus, it le tanto rubore frenduerunt perculſos & ſummo nominis ſui dedecore de templo eliminatos, eiectoſque, vt canes, & hoc manu atque auctoritate hominis, qui cum egenus videretur ſe Dominum iactabat templi, & illo titulo ipſos expellebat quaſi ex propria ſua domo, dicendo: *Domus mea, Domus orationis est*: nec non ex conſequenti ſe Deum erigeret, cuius domus erat templum, adueſus eum inſurgunt omneſque denuo reuertuntur & cum Principibus ac Sacerdotibus eminentioribus illum interrogant: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Emphaſim habet hoc *hæc*: illa quæ facis & dicis talia ſunt quæ nec facere poteſt nec dicere, niſi Deus & legitimus templi dominus: tale nobis oſtende ſignū, quod huic conueniat, quod proponis & prætendis te ius habere talia faciendi. Quibus ille reſpondet: *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Manus ſuas ad corpus ſuum dirigebat, illudque tangebat, dicens *Templum hoc*: vt enim interpretatur Euangeliſta: *Dicebat de templo corporis ſui.* Et neruosè ad huius myſterij declarationem verbo vtitur *Soluite*: quod quanto magis eſt improprium ad eius expoſitionem, nempe templi materialis euerſionem, tanto magis proprium ad Mortis expreſſionem per quam vinculum diſſoluitur, quo corpus & anima colligantur; vnde ſummatim hæc dicebat: corpori huic vitam adimite, quâ fruitur ex vnione animæ cum illo. Similiter congruenter vtitur verbo *Excitabo*, quod

quod etiam impropriè ſumitur pro reædificatione vel erectione templi materialis, ſed tantum conuenit dum loquimur de re aliqua quæ reſuſcitatur & excitatur. Itaque illis hoc ſignificauit, ſignum, quod illis dabat ad confirmationem quod eſſet filius Dei illud eſſe quod ab illis occiſus denuo rediuiuus ſurgeret. Eodem modo, quando ſolemni pompatici legatione viſis nonnullis eius miraculis cum acceſſerunt præclarius aliud poſtulaturi, quòd celſitudini conueniat illi quam de ſe clamoroſe prædicabat, tanta ſpectante & audiente populi multitudine, hoc illis dedit vnicum ſolumque ſignum: *Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.*

VII. Loquitur etiam in ſingulari: *Signum vobis* exhibebo adeo præclarum Deoque ita proprium, vt ſolus hoc Deus poſſit efficere, & eius poteſtas puto non poſſit homini communicari, nempe ſeipſum reſuſcitare. Atque ideirco dicit diem Reſurrectionis ſuæ, diem futurum gloriæ Dei dedicatum. Origenes expendit illud Exodi iuxta ſuam lectionem: *Veſpere ſcietis quia ego ſum Dominus, mane autem videbitis gloriã, ſeu maieſtatem eius.* Dicat modo Iudæus: *Vbi Dominus agnitus eſt ad veſperam eius maieſtas viſa eſt mane? Quare non intelligitis hæc prophetice dicit.* Non hoc capes niſi te ad Euangelium conuertens: etenim inuenies quod ad veſperam mulieres parent: *Aromata, vt venientes vngerent Ieſum;* audies Centurionem: *Vere filius Dei erat iſte* hic illum ſol, ipſique lapides manifeſtant. Hoc eſt quod moriente Chriſto: *Monumenta aperta ſunt, reſurgente reſurrexerunt glorioſi.* Et vos ipſi, *Rem videtis percuſſiſtis pectora veſtra.* Porro *mane videbitis gloriam & maieſtatem.* Angelũ hic intuere formã glorioſum, & gloriã reſuſcitati manifeſtantem. Hic (ait Rupertus) expoſitum habemus illud Dauidis: *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia:* in hoc Pſalmo qui Chriſti canit Reſurrectionem: *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Nam quia circa veſperam primus Adam inobediens conuictus & iudicatus in hanc mortalitatem deuenit; matutino autem nouus Adam obedientia peracta ad immortalitatem atque incorruptionem ſurrexit. Ad illũ veſperum demoratus eſt fletus cunctis ad inferos deſcendentibus: ad hoc autem matutino lætitia eſt, quia cœlum patet, & paradiſus apertus eſt.* Huc vſque Rupertus huic concinit Dauid: *Laudate Dominum omnes gentes, quoniã confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.* Cœpit miſericordia in Incarnatione eius quã de Virgine concipitur puriſſima quæ ſedes erat Deo ipſo cœlo dignior: ſed timendũ erat ne mortuos illos relinqueret, à quo fuerat occiſus. Hoc tu faceres, imo & fecit D. Benedictus, ſed non ille, qui ad vitam reſurgit ſuas proſecuturus & multiplicaturus miſericordias ad hominum vtilitatem. Confirmat hanc miſericordiam noſtramque ſpem viuificat: hoc enim indicat Apoſtolus: *Regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem.* An ergo non per crucem eius? per ſanguinem? per mortem, per ea denique quæ tolerauit? Vtique ſed potiſſimum per reſurrectionem: *Et veritas Domini manet in æternum.* Hodie igitur victoria celebratur veritatis, quæ pati potuit, ſed vinci nequaquam: *Fortior eſt omnibus:* vnde à nemine poteſt ſuperari, quinimo de cunctis triumphum agit glorioſum. Dixit D. Cyrillus quod Ionas idem fit quod *Veritas* qui in abyſſum mergi potuit, attamen *Non potuit teneri.* In hac Ionæ hiſtoria dedit reſurrectionis ſuæ ſignum, nempe victoriam veritatis: quia in ipſa opus faciebat, quod declarabat, & confirmabat de illo, quod verus eſſet Deus: cui ſoli proprium eſt ſeipſum à morte reſuſcitare. Et ſi nonnulli ſint qui diuina fulti virtute opera fecerunt, qualia ſunt aliqua, quæ ego ſimiliter facio, erit hoc adeo ſuperexcellens, vt nedum aliquis non inueniatur qui ſimile quid fecerit, ſed nec ſit, qui diuina etiam roboratus virtute hoc poſſit efficere niſi ipſa tantum perſona quæ Deus fuerit. Hoc opus eſt ſeipſum reſuſcitare: de quo cras agendum. — Pſ. 116.

*§. 2. Chriſtus in Reſurrectione ſua primariam comprehenderat perſonæ ſuæ confirmationem: vnde fuit illa neceſſaria.*

ELeganter annotauit D. Bernard, voluiſſe Chriſtum Iudæis in memoriam reuocare quod dixerat per Prophetam Sophoniam: *Quapropter exſpecta me in die Reſurrectionis.* Valde ad litteram Propheta loquitur ſecundũ — 4 D. *Serm. 1. de Reſurrect.* *Sopho. 3.*

I. Sophoniæ de Reſurrectione vaticinium explicatur.

communem SS opinionem contra Hieruſalem, & phraſi prophetica loquitur de futuro, quaſi de præterito. Populũ hunc vehementer redarguit ingratũ & horrendo quodã exorditur terriculamento: *Ve prouocatrix & redempta ciuitas: non exaudiuit vocem, & non ſuſcepit diſciplinã: in Domino non eſt confiſa, ad Deum ſuum non appropinquauit.* Querela eſt hæc formata cõtra ingratam plebis Iudæorum Synagogã, quando tot Chriſti nutriti fotique beneficijs, iram eius ſeditioſi prouocarunt; etenim miraculorũ eius ſpectatores, nedum ad illũ confugere feſtinarunt eum tanquã Deum recepturi, imo potius eum irritarunt moueruntque ipſi bilem, accedentes noua petituri ſigna, præter illa quæ prius ediderat, vnde contra illos expoſtulat, eo quod miracula ſua deſpicerent, quæ potens operabatur, dicendo: quod quia exigua erant & nullius momenti, noua & maiora poſtularent. Et quamuis mererentur vt illos omnino repelleret, non repellit tamen, ſed addit: *Quapropter expecta me, in Reſurrectionis meæ.* Locus hic eſt admirabilis quo Euſebius Cæſar. a. & D. Auguſt. b. & D. Bernard. c. probant Domini Reſurrectionem, & egregiè ſignificauit textus Hebræus: qui legit: *Expecta me, in die ſurgere meꝰ.* *Surgere* verbum eſt actiuum: Expecta me in die quã meipſum ſuſcitabo; q. d. Eo die quo me reſuſcitabo, meamque efficiam Reſurrectionem. Verbum hoc *Quapropter* ſignificat; vt abundanter & cauebranter veſtræ ſatisfaciam petitioni, & ſignum tradam adeo legitimum, quod omne tollat dubium: erit etenim opus ita Deo proprium, vt non ſolum homo purus id non fecerit vnquam, ſed nec poſsit facere qualibet roboratus virtute: expecta me: quando poſtquam me occideritis, ego me ipſum ſum reſuſcitaturus. Hoc eſt illud miraculum, & ſignum inſigne, Et tantum erat vt quando Chriſtus hoc ſignum offerebat, hoc illi conceſſerint argumentum: quia opus illud tale erat, tamque ingens, vt ſi perficeretur, manifeſte confirmaret quidquid Chriſtus prædicaſſet.

*Lib. 1. de demonſtrat. Euang. demonſt. 7.*
b*Lib. 8. de ciuit. c.13.*
*Ser. 1. de Reſurrect.*

II. Reſurrectio Chriſti argumentum erat irrefragabile.

III. Ita Iudicarunt Iudæi.

Et ita hoc confeſsi ſunt ipſi inimici, quando Domino mortuo timentes non ſolum ne forte realiter reſurgeret, ſed inſuper cauentes vt nec per vmbram id fieret, ſi Chriſti corpus in ſepulchro non inueniretur, Pilatum acceſſerunt, hæc illi proponendo: *Domine recordati ſumus, quod ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum & dicant plebi: ſurrexit à mortuis, & erit nouiſsimus error peior priore.* q. d. Quocunque modo credatur hominẽ hunc à mortuis reſurrexiſſe ficta licet ſit eius reſurrectio, ob corporis eius ablationem, nulla ſatisfaciet ratio, quã mundus cohibeatur, ne credat de illo quæcunque dicta ſparguntur. Hoc eſt; *Erit nouiſsimus error peior priore* q. d. Primus error fuit, huic homini fidem adhiberi, qui præſtigijs ſuis illos circumueniebat; hic error iam per mortem eius reparatus est. Si vel vox de Reſurrectione eius fieret, illi ſolã omnes denuo crederent, quidquid ſeductor ille dixiſſet ſic vt nullum ſupereſſet medium, tollendi illud ex conceptu & intellectu eorum. Si illi ipſi fateantur quod credendo tantum eius Reſurrectionem licet confictam, totus mundus crederet id omne quod prædicaſſet, quid fiet cum Reſurrectio eius vera fuerit & manifeſtis confirmata prodigiis? Itaque diuino conſilio Dominus in Reſurrectione ſua comprehendit præcipuum argumentum eius quod proponebat omniſque fidei quam prædicabat. Hoc eſt quod dixit Apoſtolus: *Si Chriſtus non Reſurrexit, inanis eſt fides veſtra, inanis eſt prædicatio noſtra,* Si Chriſtus non ſurrexiſſet, omnes crediderent eum fuiſſe impoſtorem, nec potuiſſe quod promiſerat adimplere. Iam quando illum inimici videbant crucifixum, exprobrabant illi: *Alios ſaluos fecit ſe ipſum non poteſt ſaluum facere.* Ex eo quod ſeipſum nec curabat, nec ſaluabat collegerunt, quod verè alios non curaſſet: qui namque ſeipſum curare nequit, multò minus poterit alijs ſalutem impertiri: & dicere intendebant, quod alias ſæpe dixerant, miracula Chriſti non fuiſſe vera ſed commenta & illuſiones, vel arte facta necromantica, vel quod illa Deus operaretur nullo habito eius reſpectu, quem ipſi peccatorem iudicabant, vt dixerunt cæco iam illuminato.

Cum ita ſit, quòd illi qui tendebant in Emmaus, fuerint illius diſcipuli, atque in eum crediderint, quando illuceſcente à morte illius die tertio iam illum non viderent

ſe-

reſuſcitatum, omnia vana iudicarunt & mendacia, quæ prædicauerat & promiſerat, vnde ſpes illis elanguit: *Nos autem ſperabamus, quod ipſe eſſet redempturus Iſrael.* Sperabamus, iam autem non ſperamus: cum illi ipſi fuiſſent de numero diſcipulorum eius, qui teſtes oculates viderant plurima Chriſti miracula, eo quòd eum reſurgentem non viderent, iam illis omnia corruiſſe videbantur: & licet illo matutino tempore nouâ intellexiſſent quæ de illius Reſurrectione mulieres annuntiauerant, vt Chriſtum non viderunt redinuuum, illis alæ ſpei ſuæ conciderant: quid fieret ſi non reſurrexiſſet? Itaque ſicut ſi reſurrectio Chriſti deficeret, tota collaberetur fides, & doctrina quam prædicauit, diuinæ ſuæ perſonæ & myſteriorum; ita reſurgente Chriſto probata manet fides, concluſa & definita. Definiuit enim reſuſcitatus: vt nullus relinquatur ambigendi locus ad credendum quidquid prædicauit, & propoſuit.

Myſtica continet myſteria huic propoſito congrua pſalmus vigeſimus ſeptimus. Illum ad literam explicant D. Hieronym. & D. Auguſt. & D. Ambr. de Chriſto Domino noſtro, quodque illum decuerit in propria perſona ore pſalmiſtæ. Agit primò de Paſſione ſua, declarans qualiter inimici ſui contra eum inſurrexerint, vitamque ademerint. Poſtea ſtatim decantat & verbis planè ſingularibus myſterium proponit quod præ manibus habemus de Reſurrectione ſua: illum igitur loquentem audiamus: *Dominus adiutor meus, & protector meus; in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum: & refloruit caro mea.* Trutinat D. Ambroſ. hoc verbum *Refloruit*, quod non tantum ſignificat, quod floruerit, ſed refloruerit; *Videte quo verbo vſus eſt non ait floruit, ſed refloruit: non enim refloreſcit, niſi quod ante floruerat.* Ita D. Paulus eodem viſus eſt (etenim in illis duobus tantum locis inuenio hoc verbum in S. Scriptura) quando ſcripſit Philippenſibus: quòd primò bene de illo ſenſerant, ſed poſtmodum opinionem illam bonam dimiſerant, & tandem primam reſumpſerant ſententiam; *Gauiſus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire ſicut & ſentiebatis.* Hoc conceſſo (ait D. Ambr.) appoſitè dixit Saluator noſter. *Et refloruit caro mea;* quo ſignificet cœleſte Reſurrectionis ſuæ myſterium. Floruit caro eius ſanctiſſima, quando floris inſtar puriſſimi & mundiſſimi de ventre prodijt terraque virginali. Flos hic abſciſſus eſt per mortem, ſed denuo floruit, de ſepulchro reſurgens & pullulans rediuiuus. Loquatur D. Ambr. *Floruit caro Domini, cum primum de Mariæ Virginis illibata vulua proceſſit ſicut ait Iſaias, dicens, Exibit virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Refloruit autem, cum ſucciſo per Iudæos corporis flore redimiua de ſepulchro reſurrectionis gloria germinauit, & in floris modum & odorem pariter & nitorem, cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem, bonorum operum ſuauitatem circumferens, nitorem, incorruptelam perpetuæ diuinitatis oſtendens.*

Hæc vt eleganter dicta confirmo, porro adiungamus quod his verbis meo iudicio ſpectet prodigium illud inſigne, quod appoſitè & latè perpendit D. Cyrill. Alexan. de virga Aaron, quæ ſiquidem in principio ortus ſui floruerit, poſtmodum tamen exaruerat, & arida denuo refloruit virtute planè diuina, quo Deus confirmaret id quod ad ſummi Sacerdotis ſpectabat electionem. Creat Dominus Aaronem in ſummum ſacerdotem, illum vt talem populo proponit: inſurgunt in illum ſeditioſi Core, Dathan & Abirõ: etenim hanc ſibi dignitatem ambiebant, & liuidi inſtigati inuidiâ populum excitarunt ad ſeditionem aduerſum Aaron. Volo, reſpondet Deus, vt declaretur, & definiatur hoc ſummum ſacerdotium Aaroni eiuſque familiæ. Vocat Moyſen, cui præcipit, Congrega duodecim tribus & ponantur duodecim virgæ coram me ex ſingulis tribubus vna in tabernaculo, quo ſeditioſi illi confundantur, ceſſetque murmuratio. Ille legitimus habebitur ſacerdos cuius virga floruerit. Erant autem virgæ amygdalinæ. Prius floruerant ex arboribus pullulantes, ſed modo omnes exaruerant: omnes igitur collocant coram tabernaculo Dei, & inexſpectato videtur Aaronis virga refloruiſſe hoc eſt quæ primò germinarat florida ex amygdalo, & cuius poſtmodum flos deciderat, iterum germinare cœpit & refloreſcere: nouos alios flores producens eminentiores, copioſiores, & fragrantiores, reliquis omnibus aridis permanentibus. Sit igitur, inquit

D CYRIL. *Lib 10 de Adora. in Spiritu*

VI. In virga Aaron florente Chriſti præfiguratur Reſurrectio,

*Num. 17.*

quia Deus, per hoc aſſertum, Aaronem eſſe legitimum Sacerdotem eiuſque ſacerdotium eſſe verum, & quod vt tale ab omnibus debeat admitti.

6 Efficax fuit hoc argumentum, quo concludatur & in æternum ſtabiliatur coram toto mundo Aaronis Sacerdotium. Et hoc ipſum (vt D. Cyrillo credimus) eſt quo Chriſtus veritatem diuinitatis ſuæ doctrinæque ſtabiliuit, aſſeruit & confirmauit. Nam licet primò caro eius floruerit puriſsima ex ventre terraque pullulans virginali, munditi qualis nec vlla, per mortem tamen exaruit, contra eum inimicis inuidiâ ſtimulatis mille calumnias euomentibus, totoque mundo in eum arma mouente diriſsima: porro refloruit, id eſt iterum floruit, reſurgens caro illa ſancta, glorioſa & immortalis, quo confirmata eſt & definita eius ſummæ diuinitatis veritas. Ipſe ſe explicet. D. Cyrill. *Sicut aridum illud lignum, cum germinaſſet, ac repente floruiſſet, efficax ſignum fuit quo declararetur illis veteribus ſuperno ſuffragio Aaron ſummum ſacerdotem eſſe creatum; ſic dicimus preclarum & euidens atque idoneum eſſe argumentum: quo probatur Deum eſſe ſecundum naturam ipſum Emmanuel, in eo quod mortem calcauit, & vt Deus dignum erat, reuixit. Ita idem ipſe Chriſtus quamuis nullo negotio ac facile poſſet quidquid ſupra opinionem ac rationem eſſet, perficere, ſignum petentibus Iudæis dicebat: Generatio hæc praua ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas tribus diebus &c. Igitur celebre ſane & illuſtre ſignum eſt, vt qui reuera prouidentes ſunt ad fidem faciendam, ipſum filium ſecundum naturam eſſe Deum, & ex Deo Patre ortum, hoc ipſo quod mortem deſtruxit, & refloruit ad vitam: factus eſt enim ipſe primitiæ dormientium, & primogenitus ex mortuis idque ſignum filijs obedientium eſt datum, quo intelligant Chriſtum Dei ac Patris ſuffragio, ſummum ſacerdotem noſtrum eſſe factum ſanctum, innocentem impollutum ſegregatum à peccatoribus, & excelſiorem cœlis factum &c.*

Congruenter hic proferimus quod expendit D. Petrus Chryſolo. circa verbũ illud quo viſæ ſunt mulieres venientes vt vngerent Ieſum: *Quis reuoluet nobis lapidem &c.* & quod addũt Euangeliſtæ: *Inuenerunt reuolutũ lapidem. Angelus Domini deſcendit de cœlo, & reuoluit lapidem.* *Aduolutus lapis probauit mortem at reuolutus teſtis reſurrectionis aſſertor. Quare nõ voluit ſed reuoluit quem perfidia Phariſæorum ad offenſionem & ſcandalũ: Angelus ad fidem reuoluerat & ſalutem, dicente Propheta: Ecce pono in Syon lapidem offenſionis, & petrã ſcandali. Reuoluitur ergo lapis, vt euolueret mortem, qui vitam clauſerat aduolutus, dicente Scriptura. Videbitis vitam veſtram pendentem coram oculis veſtris & non credetis.* Vt opinor ſatisfit modo præclaro illi myſterio Saulis dum adhuc innocens eſſet; dixit etenim eo tempore quo ſacrificium erat offerendum: *Voluite ſaxum grande.* Quando namque Iudæi lapidem illum voluerunt ad oſtium monumẽti Chriſti mors teſtata eſt eum eſſe hominem, & mortuum; Angeli lapidem reuoluunt, quo conſtet eius reſurrectio; hoc habeo ex D. Gregorio. & alio loco notatur. Ex hoc principio colligit D. Auguſtin, fidem Chriſtiano propriam, & eam qua cuncta confirmantur illi Chriſtianæ Religionis myſteria, Dominicam eſſe Reſurrectionem. Etenim quòd Chriſtus factus ſit homo, quòd natus in mundo, quòd in eo vixerit, quòd in cruce mortuus ſit, omnes hoc credunt, & confitentur: porrò quòd reſurrexerit, ſolus Chriſtianus; *Mortuum quippe Chriſtum & Pagani credunt, reſurrexiſſe autem Chriſtum, propria fides eſt Chriſtianorum.*

Ita videmus in hiſtorijs Ss. Martyrum quòd Pagani & Iudæi per hoc conati ſunt inducere Chriſtianos vt Chriſtũ abiurarent, illis obijcientes, quòd homo eſſet, qui vixerat in mũdo, & mortem ſubierat crucis ignominioſam: id hoc illis Chriſtiani reſpondebãt; ſiquidem hæc vera eſſent tamen quòd etiã à morte rediuiuus reſurrexiſſet. Idcirco Apoſtolus (vt inquit Auguſt.) huic myſterio noſtrã attribuit ſalutionem; dicendo: *Si confitearis in ore tuo Dominũ Ieſum: & in corde tuo credideris quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis ſaluus eris.* Ob eandem rationem (vt lego apud eundem D. Aug.) dixit idem Apoſtolus, quod inter omnia Chriſti opera, eius Reſurrectio potiſſimũ noſtræ fuerit iuſtificationis: *Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* quæ alij expendit conformiter ſuo ingenio. Itaque aptè dicitur quòd per Reſurrectionem Domini fides definita fuerit & ſtabilita. Quod confirmatur ex argumento D. Ambroſ. miraculum expendẽs quo Lazarum quatriduo mortuum ad vitam reuocauit, ſic ait: Non enim

D. Pet. Chryſo. Ser. 74 &

*Lazarum, ſed fidem omnium ſuſcitauit Dominus. Quod ſi tu credas, cum legis mens quoque tua, quæ mortua fuerat in illo Lazaro reuiuiſcit.* Si quod Dominus alium ad auras reuocanit argumentum fuerit adeo efficax ad fidem diuinitatis eius confirmandam, quale futurum eſt illud, ſi ſeipſum reſuſcitauerit, hoc etenim diuinæ tantum vt proprium ſeruatur omnipotentiæ: vt cras latiùs dicendum.

*§. 3. Duodecim circumſtantiæ notantur in Iona, & omnes plenæ myſterijs, quibus Chriſti Reſurrectio ſignificetur.*

7 QVando Chriſtum acceſſerunt ſignum poſtulaturi concloſinum ad fidei ſuæ quam prædicabat, confirmationem: nedum illud Chriſtus ſua comprehendit Reſurrectione, illam vt ſupremum proferens ſignum, ſed inſuper illam voluit proponere deſcriptam in hiſtoria Ionæ. Illam igitur expendamus vt propoſitæ ſeruiat hodiernæ feſtiuitati. Triumphat Euthymius & melius illo D. Aug. factum illud Ionæ non fuiſſe fortuitum, ſed datâ opera atque ex induſtria, ſi Deum ſpectes, vt per illud ſignificaretur & deſcriberetur Chriſti Domini noſtri Reſurrectio, eo modo quo pictor matronæ cuiuſdam delineans imaginem vel Regis in linteo quod ea tantum mente fit vt ipſum repræſentet. Docuit D. Aug quod Dominus noſter voluerit opera Chriſti tanto ſplendore deſcribere, vt illi ſatis non fuerit, quòd illa Prophetæ verbis prædicerent; ſed etiam operibus delinearent: tunc enim aliquid apte proponitur intelligendum, quando verbis eiuſdem propoſita veritas deſcribitur & quaſi in exemplo opere aliquo confirmatur. Vnde dicit præfatus Doctor duo eſſe genera Prophetarum: quidam verbis propheràrunt, quales fuerunt quos communiter vocamus Prophetas, qui vaticinia ſua ſcriptis tradiderunt: alij qui operibus factiſque propheràrunt, in figuris & ſtratagematibus præludentes quæ Chriſtus erat in veritate perfecturus, ſicut Patriarchæ ſuis facinoribus Chriſti præcurrerant facinora inſigniora. Non minus opere prophetauit Iſaac Chriſti ſacrificium, voluntariâ ſua obedientia ſuper altare, quam Iſaias illis verbis: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Et hoc Deo proprium eſt, inquit D. Tho. efficere vt nonnulla ſuccedant in mundo, tantum vt ſigna ſint & figuræ eius quod per illa ſignificare intendit.

Talis fuit, interprete Euthymio, Ionas, nec opus erat vt ille diceret hoc, quandoquide ſatis euidenter ipſe Dominus declarauerit, vocans hiſtoriã Ionæ *Signum*: etenim omnibus notum eſt eſſentiam ſigni, & rationem ac motiuum cur fiat, eſſe tantũ ſignificare & repræſentare. Cum autem Reſurrectionis Dominicæ myſterium adeo ſublime ſit & profundum, illud voluit prius adumbrare & deſcribere; & cum Deus ipſe huius pictor fuerit, qui colores nouit, prout vult, imagini appingere, talis illa prodijt in lucem, vt paucæ ſint quas magis admiremur. Opus hoc Ionæ à duodecim commendatur circumſtantijs iiſque ſingularibus. Prima: quòd contra nauim quâ vehebatur adeo ſæua ſurrexerit vndarum tempeſtas, vt eam tota non poſſet amouere nautarum induſtria, preces quamuis, vota funderent & orationes: nec non in mare quælibet onera deijcerent, in hoc tantũ ſalus eius pependit, quod Ionas maris fluctibus traderetur abſorbendus. Secunda: hoc concluſum fuiſſe & determinatum omnium ſuffragijs in concilio cœleſti; nam ita ſtatuit Deus: & in concilio nautæ; etenim conuenerunt nautæ, quinimo & ipſius Ionæ in calculo conſentiente. Tertia: ipſa proiectio Ionæ in pelagus adeo fuit illi voluntaria, vt ipſe ſe traderet eorum manibus eijciendum, diceretque: *Tollite & proijcite me in mare.* Quarta: Ionas eiectus, & hinc inde maris fluctibus abreptus breuiſſimo tempore grauem ita paſſus eſt tempeſtatem quantam omnes perferunt qui mari demerguntur, ex eo quod vndarum vi nunc aſcendant, nunc deſcendant: modo ab hac modo ab altera aquarum vnda tranſuerſum rapiantur, quod mihi perſuadeo ab eo ſignificatum fuiſſe his verbis: *Omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Gurgites* ſunt vortices & volumina ab aquis excitata: *Fluctus* ſunt vndæ quæ hinc inde rapiunt & impellunt. Nota verbum illud *Omnes*, id eſt mille vortices, mille me aquarum volumina per maris profunda traijciebant, mille me iactabant vndæ, & quaquauerſum agebant: vnde irruit in me quidquid maris tempeſtas ſolet excitare turbulenta. Dico præterea illud con-

II. Duodecim notantur circumſtãtiæ in Iona. Prima.

Secunda.

Tertia.

*Iona* 1. 12.

Quarta.

*Iona.* 2. 4.

contigiſſe tantillo temporis ſpatio vt ſancti dicere potuerint quòd quam primùm Ionas mari iniectus fuit, ſtatim à ceto deuoratus ſit, licet realiter antequam deuoraretur, prædicta ſuſtinuerit. Nec vacat myſterio gurgites illos, fluctuſque decumanos vocari gurgites vn daſque Dei: *Gurgites tui fluctus tui*: nullus etenim excitatus eſt fluctus qui Ionam ad ima deprimeret, nec procella quæ virum in diuerſa raperet, aut quaquauerſum iactaret, quæ ab ipſo Deo non fuiſſet determinata.

5 Quinta Quinta: quod excitata hac vndarum tempeſtate, multæ caput illius iunci cooperuerint. Hoc verbis illis ſignificat: *Pelagus operuit caput meum*: vbi in Hebræo vox legitur *Zuph* quæ iuncum ſignificat, vnde alij tranſtulerunt: *Iuncus operuit caput meum* & licet auctor quidam modernus rideat hoc vt fabulam, eo quod arbitretur, nullum his fuiſſe tempus: quandoquidem in momento Ionas ſit à balæna deuoratus: ſed cum ad hæc tempus fuerit, ſicut dictum eſt, non eſt quod de illo dubitemus & facile hoc erat, quandoquidem ibi ad oram maris præſertim vbi Ionas nauem aſcendit multi iunci marini naſcantur: nam cum tempeſtas adeo grauis eſſet, illos fluctus deiecerunt, & ventorum impetus detulerunt ſuper caput Ionæ, vel ſi placet, manus ſupremi illius pictoris qui noſtra per illum myſteria delineabat. Atque In hoc concludo, quamuis nulla ſit ratio quæ hoc euidenter conuincat pro hebraizantibus, tamen Chriſtiana hoc concedit pietas, cum verba ſancti textus admittat dictis mota rationibus. Sexta quod Deus cetum deſtinauerit qui Ionam reciperet in mare deiectum, vt bene diuinum obumbrat penicillum: *Præparauit Dominus piſcem grandem*

Sexta. *vt deglutiret Ionam*. Quia in illo nullæ reperiuntur balænæ: quia eſt mare Mediterraneum, & Deus cetos quaſi concluſos detinet in mari Oceano: cum enim pelagus illud ſit minus, ſi illud intrarent non leue piſcibus adferrent incommodum, nauibuſque nocerent: atque idcirco illos concluſit in anguſtijs Gaditanis, velut quibuſquam portis quibus in Oceano detinerentur. Quod Iob

Ion. 2.1.

Iob. 7.12 eleganter verbis illis expreſſit: *Nunquid cetus ego ſum, quia circumdediſti me carcere?* Itaque cum nullus in eo eſſet mari præparauit illum Deus, diuino ſuo præcepto eò illum adducens qui ventre ſuo Ionam deglutiret: nec non ſingulare fuit Dei opus vltra prædicta eo tempore cetum aduehere, qui ad aquæ ſuperficiem & conſpectum produit; etenim ceti turbido pelago ad abyſſos ſe demergunt, vbi minori affligantur moleſtia; quia ad aquæ ſuperficiem natantes illos ipſæ procellæ impugnant & confringunt.

Septima: quando cetus ille deuorauit Ionam non illum in vno ſinu recondidit, ſed in duobus: hoc enim indicat D. Hieron. hoc loco: *Recepit Ionam in ſinus ſuos* ſic autem ſe res habet, quod cum ſit animal adeo vaſtum, diuerſos habet in ventre ſuo ſinus, & contemplor quòd Ionas partem haberet in vno, & partem in altero, vt exiſtens ille quaſi tranſuerſus poſſet Ionas habere caput & pectus in vno, & cetera vſque ad pedes in altero: hæc imaginatio quamuis euidentiam non habeat ex S. pagina illam tamen illi tribuit ſententia D. Hieronymi per epiſtolam. Octaua: quam primum cetus Ionam deglutiuit cum eo ad profundiſſima maris deſcendit & ad ſinus qui in eo reperiuntur vaſtiſſimos, in quibus piſces quaſi quibuſdam cauernis includuntur: hoc ipſe tunc temporis confeſſus eſt: *Ad extrema montium deſcendi, terræ vectes concluſerunt me*. Vectes appellat terræ cauernas ſeu antra in imo pelagi, vt carceres obſtruat. Nona: cetus hic Ionam in ſinu ſuo retinuit tribus diebus & tribus noctibus, & cum tantus ſit calor quo feruet vt ligna digerat (ſi Tertulliano credimus) Ionam oſſibus & carne conſtantem non potuit digerere. Hoc verbum illud ſignificat: *Euomuit Ionam*: Euomere aliquid quod comediſti, naſcitur ex impotentia digerendi: nam [illegible] pollet maioribus ad reſiſtendum, quam calor [illegible] tuus naturalis ad eius conſumptionem [illegible] parit anguſtias & moleſtias donec illud euomueris. Decima: cum cetus altiora maris penetraſſet, euomuit Ionam in terram littuſque firmum: *Euomuit Ionam in aridam*: quia ſicut ordinarie mare mediterraneum ad littora loca habet arenoſa non poſſet cetus eo vſque accedere: quocirca tale fuit Ionæ robur, vt cum illum non potuerit digerere, ipſum ad talem hic compulerit conuolutionem, vt illum ad firma tora littora eiecerit. Vndecima: quod ſicut in ſinu litus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

libus eructationibus, quæ tantâ fiunt violentia, non ſolum id quod abſorbuiſti, foras proſilit, nec potuiſti digerere, ſed hac agitatione ſtomachi cum hoc alia quoque effunduntur, quæ iam concoxeras, & aliquando viuus venarum ſanguis: ita mihi perſuadeo ceto contigiſſe, quod Ionam euomens, quem non concoxerat, alios piſces eiecerit, quos iam quaſi digeſſerat, & conſumpſerat. Duodecima: quando nautæ qui Ionam in mare deiecerant, crediderunt eum iam conſumptum, ipſe in arida ſaluus erat & incolumis, mirabilia patrando in Niniue.

## §.4 Conueniunt Chriſto ſeptem illæ primæ circumſtantiæ in Iona præfiguratæ.

I. INſigne ſignum, & præclarum plane prototypon veritatis hodiernæ. Primò namque nota domeſticè eſt tempeſtas, quæ per peccatum contra hominem excitatur, quem Deus in mundo ſtatuit vt nauim in pelago, quatenus nauigando ad portum appelleret vitæ æternæ. Et quidquid homo conabatur quantum vires ferebant, nullum affulgebat remedium, niſi Ionas in mare deijceretur, ideſt filius Dei in mare Paſsionis. Hoc appoſitè præluſit in Iona, qui dicitur Columba: fuit etenim Chriſtus candida columba, ſine felle culpæ vel peccati. Conabantur quidem homines pro viribus ſuis, oblationes immolando promiſſa votaque emittendo, ſed euidenter declarauit hæc omnia non ſufficere ille qui dixit: *Impoſſibile eſt ſanguine hircorum & taurorum auferri peccata.* Quid plura? niſi ſerpens erigatur in ſtipite nullum ſupereſt vulneratis morſiſque remedium. Secundò: factum eſt hoc vniformiter conſpirantibus cœli terræque ſuffragijs: etenim in Conſiſtorio SS. Trinitatis concluſum eſt hoc decretum: atque in illo quod naucleri & nautis direxere in Hieruſalem celebrarunt, eodem modo, ita concorditer, vt in vtroque concilio ipſum iiſdem verbis ſtatueretur. Hoc etenim annotauit D. Ioan. quando expreſſo decreto Caiphæ: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo*: ſubiungit: hoc à ſemetipſo non dixit: ſed verba fuerunt à Spiritu S. ori eius ingeſta, licet ipſe ea in illo ſenſu non intelligeret. Huic conuenit D. Petri ſententia: relatis etenim S. Scripturæ teſtimonijs ſic ait: *Conuenerunt vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri* Et ipſe Chriſtus hoc ita decreuit atque vt tale ſæpius repetiuit: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur &c.* Act.4.27.

Tertiò: ita voluntaria fuit Chriſto iſta in pelagus eiectio, vt ipſe ſe vltro tradiderit eijciendum, Apertè ſatis frequenter aſſeruit, quod ſi nollet, eum nequaquam occiderent: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam.* Quod opere confirmauit, quandoquidem cum illi vellent, & ille nollet, ita liber ex eorum euaſit manibus, vt illi ſemper rubore confunderentur, Porro hora iam imminente, cum ipſe primò demonſtraſſet, quod ſi nollet non caperetur, quandoquidem omnes in terram colliſiſſet vnico ſuæ vocis imperio, poſtmodum illis ait: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum: Si me quæritis, ſinite hos abire*: quod idem eſt ac ſi cum Iona dicat: *Propter me tempeſtas venit*. Quartò: deiectus in mare Paſſionis, gurgitibus & fluctibus capitur ſæuientibus inimicorum ſuorum, quos vehemens malitiæ ſuæ ventus agitabat de horto ad domum Annæ, inde ad tribunal Caiphæ &c. & vltimò ad montem Caluariæ, vbi ſpatio ſedecim vel ſeptemdecim horarum breuiſſimo omnia paſſus eſt tormenta, quę tolerari poterant: ita vt aſſertore D. Tho. plura pertulerit ipſe ſolus modico illo tempore, quàm omnes Martyres centenis & millenis annorum curriculis. Et hoc quod Ionas dixit: *Omnes fluctus tui ſuper me tranſierunt*; dixit Pſalmiſta in perſona Chriſti: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Vocantur procellę fluctuſque Dei: quia nihil Saluator pertulit, nec ictum, nec torſionem, nec ſputū quod non particulariter fuerit à Deo determinatū vt pateretur: nam idcirco dicitur quod ſculptura lapidis illius, quem Deus oſtendit Zacharię, manibus licet peracta ſit lapidicidarum, primò tamen delineatā fuerit & deſcripta manu diuina: *Ego cælabo ſculpturam eius.* Itaque lapidicidę nihil effecerunt, quamuis tantum opus ſculpſerint, vt nihil in illo reliquerint intactum & non elaboratum, niſi quod Deus ſigillatim in toto illo

Marginal notes: Ioan.11.50. — Tertia. — Ioan.10.17. — Ioan.18.8. — Quarta — 3.p.q.46. ar.6. — Pſ.87.8. — Zcha.3.9.

illo, omnique eius parte deſignauerat, vt aliàs expoſuimus.

Quinta. Quintò: iunci in caput eius conuoluti ſunt vi fluctuum, & vehementia tempeſtatis, in quo myſterium veneramur ſpineę coronę, adeo profundum, & plenum Sacramentis vt Deus voluerit illud ita particulariter in Iona deſcribere quia eo vſque nequitia diabolica peruenit inuidiæ & furoris, quæ contra Chriſtum excitabat tempeſtatem, vt illam expleuerit inuentionem nuſquam viſam, crudeliſſimæ coronæ ex punctis aculeatis iuncorum pelagi. Et apte dicit: *Iuncus operuit caput meum*: cum illa quam Chriſto infixerunt, vt videtur Pariſijs, non ex ſolo circulo eſſet qualis eſt Regia, ſed in altum aſſurgens intertexta, vt totum Chriſti caput inſtar caſsidis operiret.

10 Sexta. *Sextò*: præparauit Dominus in tempeſtate illa terribili *Piſcem grandem*, non ex vulgaribus, ſed ex maioribus, inſtar balænæ, vt Ionam pectore ſuo concluderet: hic eius deſignatur ſepulchrum. Quàm egregiè depingit æterni Patris opus circa Chriſtum filium ſuum? etenim morti illius piſcem præparauit prægrandem ſepulchri mediante Ioſeph ab Arimathia viro primario, & ſtemmate oriundo nobiliori ac inter nobiliores eminentiori vrbis Hieruſalem. Optimè notarunt hoc Euangeliſtæ, à quibus inſcribitur: *Nobilis decurio, homo diues.* Eo tempore, quo ſicut in tempeſtate omnes ſe piſces abſcondunt, ſecedunt, & ad maris cauernas ſinuſque refugiunt profundiores, ne vehemens illos quatiat, & collidat tempeſtas: fugam inierant, & latebras quæſierant amici notique Redemptoris, de quibus ſic Euangeliſta: *Stabant omnes noti eius à longe*; & pauci qui proximi cruci adſtabant, parum poterant efficere: huic igitur occaſioni opportunè acceſſit nobilis ille decurio viribus confortatus diuinis, nihil veritus tempeſtatem vt greſſus eius reprimere non potuerint infeſti nequitiæ Phariſaicæ fluctus vndæque decumanæ: *Audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.* Grande myſterium quod decreuit Deus ab Euangelico præenuntiari vate Iſaia verbis, ſicut à Iona operibus: dum ait: *Dabit diuitem pro morte ſua*: ſicut eleganter ponderauit D. Augus. a, & prior illo Tertullia. b Verbum illud: *Dabit diuitem* idem eſt quod in Iona legimus: *Præparauit piſcem grandem*. Et notetur vis illius verbi: *Præparauit*

Marc. 15. 43
Matt. 27. 57
Luc. 23. 49.
Mar. 15. 43.
Iſai. 53. 9.
a Lib. 50. Hom. Ho. 36
b Lib. 2. aut. Marc.

& figura Ionę cum veritate figurati, quando quidem nobis dicant Euangeliſtæ, quam [illegible] appoſitè diuinæ intentioni, ſuum Ioſeph [illegible] effoderat ſepulchrum: etenim non aduertens [illegible] quod huic ſeruiebat intentioni, præparauit illud in horto quem habebat proximum monti Caluariæ, & vrbi Hieruſalem: [illegible] hæ circumſtantiæ quas Deus dirigebat vt Chriſto ad veſperam moriente, nec corpore eius in cruce remanente, aut longius aliquo illud deferente ibi ad terminum operis ſepulchrum inueniretur, non tam præparatum per Ioſeph, quam diſpoſitum & ordinatum à Deo: ipſe namque *Præparauit piſcem grandem*. Nam ipſe ſibi totum operabatur. Et idcirco quoque ſepulchrum fuit nouum atque in petra exſculptum ob ea myſteria quæ [illegible] declarabimus. 11

Propoſito noſtro conducit quædam comparatio quam inſtituunt duo illa præclara Eccleſiæ ſanctitatis, & doctrinæ lumina D. Ambroſ. & D. Aug. de virgine ſacratiſſima, eiuſque ventre puriſſimo cum S. Ioſeph de Arimathia viro iuſto eiuſque ſepulchro nouo. Vtrumque Deus filio ſuo præparauit. Binas natiuitates celebraturus erat Dei filius in mundo: vnam in carne mortali & paſſibili, vt pro noſtra ſalute pateretur: alteram in carne glorioſa & immortali ad noſtram iuſtificationem. Vtrique Deus tales diſpoſuit perſonas quæ propoſito ad illum recipiendum maximè conuenirent. Natiuitati in carne mortali virginem præparauit ipſis ſideribus puriorem, imo & ipſo ſole ſplendidiorem, cuius venter in quo reciperetur erat gratijs doniſque eminentiſſimis cœlis ſuperaret Empyreũ. O quàm conſpicua virgo! O quàm præclaris diues beneficijs venter ille virginalis! quot donis ſupremiſque eminens fauoribus! O quid non dixerunt prophetæ, vt exprimerent quanta Deus ſollicitudine virginem hanc præparauerit ditaueritque ſanctiſsimã: vt in eius ventre Dei filius [illegible] reciperetur: *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilijs* dixit Spiritus S. Non minori debebat Deus ſtudio prouidere & aliam præparare perſonam, aliumque ſinum, in quo [illegible] iuus reciperetur, vt ex eo in vitam [illegible] glorioſam & immortalem. Quis fuit ille [illegible] quis ille vir? Ioſeph ab Arimathia. Hunc [illegible] tur attende quid in figura Ionæ ſignificatum

fuerit

ſerit: *Præparauit Dominus piſcem grandem.* Piſcem grandem à quo in ſinum ſuum & ſepulchrum velut in ventrem reciperetur, ex quo naſceretur. Præparauit illum Deus. Quis huius viri verbis exprimat eminentiſſimas prærogatiuas? Audi, quod de viro hoc (inquiunt hi duo PP.) teſtimonium perhibeant Euangeliſtæ: *Ioſeph vir bonus & iuſtus.* His duobus ſolis epithetis plura declarant quàm omnia poſſent verba manifeſtare. Primò: *Vir bonus,* Vir perfectè & integrè bonus Si à Philoſopho percuncteris quid dici poſſit abſolute bonum; reſpondebit: illud cui nihil deficit ex bono: *Quia bonum conſurgit ex integra cauſa: malum autem ex ſingulis defectibus.* Quinimo ideirco Chriſtus ait, quòd perfectè & abſolutè cognomen hoc ſoli Deo proprium conueniat: *Nemo bonus niſi ſolus Deus:* nulla etenim creatura reperitur, quæ non aliquem patiatur defectum. Attende quis ille ſit quem Deus huic miniſterio determinauit. Vir eſt cui Euangeliſtæ pleno ore nomen dedicant ſoli Deo proprium: *Vir bonus.* Deinde vocatur iuſtus ad eiuſdem expreſſionem: hic etenim dicitur iuſtus qui nec defectu laborat nec nimietate. Talem iudica fuiſſe Ioſeph in ordine ad voluntatem Dei. Præparauit Deus piſcem hunc grandem, vt illum ſinu ſuo id eſt ſepulchro reciperet. Quale fuit hoc ſepulchrum? Mundum nouum, abſque vllo corruptionis indicio, in quo reconditur linteo inuolutus mundo & puro; ſicut etenim natus eſt de ventre puriſſimo cœleſtis Virginis in carne & vita mortali, ita de hoc enaſcatur ſepulchro lapideo S. Ioſeph ad vitam glorioſam & immortalem.

Ioan. [illegible] 16. [illegible] Tom. 5. Profero vobis D. Ambroſium: *Accepit illud Ioſeph ab Arimathia, vir iuſtus ſicut ait Euangeliſta, & in nouo ſuo ſepeliuit monumento in quo nondum quiſquam poſitus erat. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iuſtitia cuſtodiuit. Cuſtodiuit illud Ioſeph tumulus incorruptum ſicut ſeruauit illud Mariæ Virginis vterus illibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur ibi mortis corruptione non læditur. Vbique ergo corpori defertur ſanctitas, vbique virginitas. Nouus illud venter concepit, nouus tumulus incluſit. Dominica ergo & virgo vulua, & virgo eſt ſepultura. Quin potius ipſam ſepulturam vuluam dixerim: eſt enim ſimilitudo non parua. Sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit, ita de Ioſeph ſepultura viuus ſurrexit. Et ſicut tunc de vtero ad prædicandum natus eſt: ita & nunc ad Euangelizandum renatus eſt de ſepulchro: niſi quod glorioſior eſt iſta, quam illa natiuitas: illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale Poſt illam natiuitatem ad inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad cœlos.* Idem ex ore capimus D. Auguſtini qui hæc addit, *Maria Dominum pannis inuoluit cum natus eſt, Ioſeph linteis cum receſſit: illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit.* Ratione huius Allegoriæ mira proferunt hi duo Sancti ingenio ſuo condigna: & potiſſimum ex illa colligunt atque expendunt eximiam ſanctimoniam vtæque merita huius Ioſeph, quem Deus particulari huic prædeſtinauit obſequio; nam eius gratia dixit in ſingulari Iſaias: *Dabit diuitem pro morte ſua* Hic igitur fuit piſcis ille grandis a Deo præparatus, & ſingulariter electus vt diuinum noſtrum Ionam ſepulchri ſui nouo ventre concluderet.

D. Aug. Ser. 131. de temp. de ſepul. Domini Tom. 10.

Septimò: mors Chriſtum deglutiuit vt balæna, & in duobus vteri ſui ſinibus complexa eſt. Duos mors habet ſinus ventris ſui: vnum pro corpore, alterum pro animâ: corpori ſeruit monumentum, animæ autem infernus tot habens diuiſiones, quot ſunt animarum diſpoſitiones. In duobus illis ſinibus depoſitus fuit Chriſtus: quia corpus reconditum eſt in monumento, & anima deſcendit ad inferos. Hoc docet nos fides Catholica: quòd Chriſtus depoſitus in ſepulchro, verè ac realiter deſcenderit ad inferos, non tantum ſecundum ſuam virtutem, ſed ſecundum ſubſtantiam animæ ſuæ ſanctiſſimæ, & ambo fuerunt in iſtis locis tribus diebus & tribus noctibus vt Ionas in duobus ſinibus vteri balænæ. Quomodo vero numerandi ſint illi tres dies & noctes multis modis exponunt Theologi, quibus modo non vacat immorari.

Septima

### §. 5. *Deſcendit Dominus ad inferos aliò longè modò, quàm Ionas ad cauernas pelagi profundiſſimas.*

Octauò: ex prædictis intelligitur Chriſtum ad carceres illos deſcendiſſe, quos elegantèr exponit Ionas myſticis verbis, 11

per cauernas, in quas ipſe deſcendit: *Ad extrema montium deſcendi, terræ vectes concluſerunt me in æternum.* Montes appellat, vt notarunt Theodor. & Theophilac. excelſas petras quæ ſunt in profundo maris in quibus cauernæ latent valde profundæ, ita ad formam carceris vt nullæ poſſent eas humanæ vires ſuperare, nec illis egredi quicumque illas intraſſet. Præfigurant illæ quatuor cauernas quas S. Theologia fatetur in profundo terræ;

I. Quatuor ſunt cauernæ in centro terræ.

cauerna condemnatorum quæ eſt in centro terræ: alia Purgatorij, quę altior eſt: illa puerorum, qui diſcedunt hinc in peccato originali: & ſuper reliquas eſt limbus, in quo detinebantur animæ SS. Patrum & iuſtorum, qui de proprijs culpis quod expurgarent, nihil habebant: detinebantur autem velut captiuæ in pœnam communis primique peccati, ob quod concluſę fuerunt hominibus cœleſtes ianuę, totumque genus humanum ſub ſeruitute captiuum ingemuit diabolica. Quamuis autem lacus hic profundior eſſet ſub terra, erat tamen inferno multo altior, vt indicarunt verba Abraham ad diuitem epulonem: qui eleuans oculos ſuos de profundis illis cauernis, ad altiores & videns Lazarum in ſinu Abrahę quieſcentem petitionem illi quandam propoſuit cui ſic

Luc. 16. 26. ille reſpondit: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt.* Introgreſſus eſt Ionas ſeruus & peccator ad cauernas illas: vnde nec viribus pollebat, vt illis egrederetur, imo potius ibi

II. Fuit in illis Chriſtus liber.

detinebatur miſer ita captiuus ac ſi fortiſſimis compedibus ferreiſque vinculis conſtrictus fuiſſet; ita vt vires ex ſe non haberet quibus inde liber egrederetur; idcirco ait: *Terræ vectes concluſerunt me in æternum.* Chriſtus

a Ser. 137. de temp. b Lib. 29. Morac. 2. Pſ. 87. 5. Apoc. 1. 18.

autem ingreſſus eſt vt ſupremus Dominus, & ſicut ille de quo, teſtibus D. Aug. a & D. Greg. b prędixit Dauid: *Inter mortuos liber:* ita liber & ſolutus vt non ſolum poſſet, quotieſcumque vellet, egredi, ſed etiam alios omnes electos pro beneplacito ſuo liberare: ea de cauſa dicitur ille eſſe: *Qui habet claues mortis & inferni.* Qui poteſt quantum ad corpus egredi de ſepulchro, carcere mortis, & quantum ad animā de inferno, carcere peccati, & nedum reſurgere in corpore & anima, ſed etiam quoſlibet reſuſcitare. Si Patriarcha ille Ioſeph illa ratione ingreſſus eſt carcerem vt ex propria virtute eiuſdem obtinuerit claues, & plenam ſuper reliquos captiuos poteſtatem, ſibi à Prætore carceris traditam: *Qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur & quidquid fiebat, ſub ipſo erat:* multo magis hoc Chriſto Domino noſtro conueniebat, qui propria potens virtute claues habet carcerum mortis & inferni.

Hoc, vt credo D. Greg. ſibi Deus reſeruauit, quando dixit ad Iob: *Numquid ingreſſus es profundum maris & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti?* Numquid forſitan propria noſtri voluntate profunda maris penetraſti & liber ac ſolutus illa perambulaſti? et eo quod aliquis locum perambulet, liquidò patet quòd liber ſit; *De ambulare quippe* (ita D. Greg.) *non conſtricti ſed liberi eſt:* quinimo ex rigore loquendi S. Scripturę, ſignificat euidenter, Dominum eſſe loci. Ea formâ loquendi declarauit diabolus, ſe dominum eſſe mundi, dum ait: *Circuiui terram & perambulaui eam* q. d. Terrā perambulo, quaſi domum meam, pleno potitus dominio: ſic etiam audio loquentem Dauid. *Perambulabam in medio domus tuæ.* Ita Chriſtus deſcendit ad limbum, & per eum deambulauit: *In nouiſſimis deambulaui:* q. d. liber eram, & quaſi legitimus dominus reliquerem quæcumque voluiſſem. Quaſi magnus dominus deſcēdit noſter Ionas ad omnes illas cauernas infernales, diuerſo licet modo quem ipſe verbis ſuis expreſſit quę ſapientiam ſuam dunt infinitam: poſtquam enim dixerat quòd ter deſcenderet in mundum, & torrentem effunderet doctrinę ſuę cœleſtis, qua vniuerſam ſuam irrigaret tanta copioſam vbertate, quia flumina illa Paradiſi terram irrigant, & ſicut ſol clariſſimos lucis ſuę radios ſuper noſtrum emiſſurus eſſet Hemiſpherium, adiungit: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Locum hunc appoſitè perpendunt SS. Patres Omnes, inquit, cauernas illas penetrabit, quia ad tres profundiores, puerorum, purgatorij & inferni, non deſcēdit ſecundum animę ſuę ſubſtantiam, ſed tantum ſecundum ſuam virtutem: hoc etenim eſt *Penetrabo;* ſicut ſol venas penetrat & interiora terrę, in quibus efformat aurum, argentum & metalla, ad quę non peruadit ipſe ſecundum ſuam ſubſtantiam, nec ſecundum illam radiorū claritatis ſuæ, ſed ſuæ virtutis: quemuis enim eo inſtanti quo Chriſtus expirauit, eius SS.

anima

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

anima iuxta ſubſtantiam ſuam tantum deſcenderit, & manſerit in limbo Patrum; virtus tamen illuſtris huius triumphatoris, ad caeteros omnes carceres penetrauit: ad carcerem damnatorum, nam illis indicauit, quòd ipſe legitimus eſſet iudex & ſupremus omnium Dominus creaturarum, illos terrefaciens, meuque concutiens, nominatim autem diabolos pudore confundens: qui terribili vlulatu, & reboatu tormentorum ſuum pœnamque declarabant, & ſicut per Dominum hunc deuicti & concatenati erant, tremore obriguerunt horribiliori quam illi de quibus cecinit Moyſes: *Tunc conturbati ſunt Principes* Exod. 15.15 *Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Pueris in limbo nouam attulit triſtitiam, illis calamitatem ſuam exponens quod participes non fuerint virtutis huius maximi Redemptoris, quo liberarentur à peccato originali. Eos qui in Purgatorio detinebantur maxima demulſit conſolatione, ſpem eorum animando.

§. 6. *Deſcendit Dominus ad omnes inferni carceres ſed diuerſimodè ad hos & alios.*

11. I. Animando

ITaque ſicut dum ſupremus Concilij Præſes magna fultus auctoritate & maieſtate latiſſimum intrat carcerem, in quo diuerſa ſunt receptacula vnum profundum, obſcurũ & horrendum ad mortem condemnatis: aliud non tantorum reis criminum: eſt & aliud commune deſtinatum ijs qui debitis grauantur, quæ paulatim ſoluunt: habetur etiam cubiculum nobilioribus opportunum, qui ex eius ſperant præſentia beneficium; ingreditur illuſtris hic Princeps, & in medio conſiſtit cubiculi inter viros illos nobiliores, & hunc oculum conijcit ad hoc cubiculum, & alium ad aliud, quo cunctos in illis exiſtentes intueatur: & per hoc omnes eius agnoſcunt ingreſſum & celſitudinem; & alij decuo perturbantur, alij confidunt, alij ex recepto hilareſcunt beneficio. Talis fuit, introitus illuſtriſſimi noſtri Principis in carcerem illum infernalem, quamuis enim ipſe ſolus quantum ad animæ ſubſtantiam in cubiculum illud intrauerit illuſtrium iſtorum nobilium SS. ſc. Patrum: porro *Inſpiciam,* inquit, *omnes dormientes,* in omnes partes: eoque modo oculus eius acceſſit, vt omnes perſpicuè perſonam illius & maieſtatem cognouerint, diuerſis licet effectibus: hoc enim egregiè declarat verbum illud: *Inſpiciam omnes dormientes:* nonnulli contremiſcent, alij ſolamine recreabuntur, porro *Illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Illuminare, viſionem hic ſignificat beatificam, quâ reddentur illi beati per lucem gloriæ; etenim eo momento quo anima illa Domini ſanctiſſima ingreſſa eſt in limbum, illas SS. Patrum illuminauit, iamque limbus locus fuit paradiſi & beatitudinis. Hoc eſt quod Dominus per mortem ſuam effecit; cœlos etenim aperuit obſeratos, ita vt iam ingredi poſſent animæ ad claram Dei viſionem. Hoc innuit quod eodem contigit inſtanti; *Velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum:* vt enim exponit Apoſtolus, velum Matt. 27. 51. illud contegebat Sancta Sanctorum, vt ſignificaretur hominibus diuinam nondum eſſe reuelatam eſſentiam, vt ea animæ ſanctæ per claram poſſent gaudere viſionem: *Significante Spiritu S. nondum eſſe propalatam Sanctorũ viam.* Hebr. 9. 8

Expirante Domino & moriente, diſſcindatur velum, videant quæ iam animæ ſanctæ clarè Deum, ſintque beatæ. Sunt qui ſuſtinent verbis illis: *Illuminabo omnes ſperantes in Domino:* denotari, quòd etiam beatas reddiderit omnes animas in purgatorio detentas: quandoquidem nullâ facta ſententiæ violentia, poſſunt illæ legitimè intelligi ſub nota illa vniuerſali; *Omnes ſperantes in Domino:* illæ namque felices animæ perfectè ſperabant in Domino. Et ſi Romanus Pontifex, qui tantum eſt Chriſti Vicarius poſſit applicare animabus ſanctis in Purgatorio virtutem meritorum & ſatisfactionis Dominicæ Paſſionis, quibus abundanter ſoluitur eorum debitum: & ſi inuictus Chriſti Martyr D. Laurentius, vt refert D. Gregor. Turonenſ. in ſolutionem ignis, quem pro Domino conſtanter pertulit, obtinuerit vt ſingulis totius anni diebus Veneris deſcendat & realiter deſcendit in Purgatorium, vt ex illo plures liberet animas ſibi deuotas, eiuſque fidentes interceſſioni: Et S. noſtro Alberto conceſſum eſt à Domino vt in die obitus ſui ob inſignia eius merita, remiſſionem obtineret pœnarum; quas luebant in Purgatorio ſex millia animarum: nec non D. F. Ægidio ſocio Sera-

11. Chriſtus omnes ex purgatorio liberauit

*Refertur à Leandro Alberto li. 5. de viris illuſtribus Ordin. Prædicat.*

Seraphini terreſtris, D. Franciſci, Dominus
*In vita. Franciſci.S* permiſerit, ſcriptore D. Bonauentura vt cum terrena deſereret, plures etiam animę ex Purgatorio egrederentur illis applicatis meritis viri illius meritis eminentiſſimi; quanto magis hoc credendum eſt factū fuiſſe Chriſto moriente? quando iam dignitatem meritorum, & valorem ſatisfactionum erat demonſtraturus, iam ſanguis illius adhuc calens ebulliret, profuſus in terra, remiſſionem clamans peccatorum vocibus multò elatioribus, & auditu dignioribus, quàm illas fuiſſe teſtatur S. Scriptura, quas innotius Abelis ſanguis protulit vindictam poſtulans de fratricida. Deinde cum dies eſſet gloriæ & triumphi Chriſti, quò ſpecialiter in infernum deſcendit prœdam capturus, & iuſtas illas ſanctaſque animas erepturus. Ceterum hæc definienda relinquamus Theologis, & ad vlteriora pergamus huius figuræ de Iona expoſituri veritatem.

*§. 7. Non potuit mors Chriſtum digerere ſicut nec cetus Ionam: vnde de ventre eius egreſſus eſt ſecum SS. Patres de limbo educens.*

☞ 14 NOnò: tribus diebus & tribus noctibus fuit Ionas non. er in finibus ventris mortis: exiſtente anima in limbo, & corpore in ſepulchro: veruntamen illum non potuit cetus concoquere Hoc eleganter exprimit verbum illud: *Euomuit*, licet videatur nauſeam parere, Vtitur S. Eloquium ex iudicio D. Aug. verbis, quæ talia videntur quando magna proprietate, demptis imperfectionibus explicantur per ipſa veneranda myſteria, Ita Propheta Rex verbo vtitur eructandi, quo myſterium explicet productionis verbi ęterni, quando, ex annotatione D. Athana. *a*. D. Cyril. *b*. D. Aug. *c*. D. Hiero. *d*. & aliorum locutus in perſona Patris cœleſtis, dixit: *Eructauit cor meum verbum bonum*: quia ructus formatur intus in ſtomacho, & naturaliter naſcitur ex eius plenitudine, & omnia cā redolet, habetque odorem, quæ latent in ſtomacho; ita æternus Pater filium producit. Bolum euomere, ex eius oritur virtute & fortitudine, quia cum calor naturalis non poteſt conſumere, & cibus maiori viget virtute ad reſiſtendum, quàm calor ad digerendum & corrumpendum Et ſic ſe res habuit cum cetus id eſt mors cibum hunc adeo fortem digerere nequiuit quem ſibi incorporauerat: etenim in ſe quaſi totam incorporauerat diuinæ ipſius eſſentiæ ſubſtantiam hoc eſt, ex mente D. Petri, quod Dauid prædixit: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Non potuit, inquit D. Hier. illum infernus detinere qui viribus polles ſuperioribus, qui conteſtantibus Dauide & Iſaia, factus eſt vt portas æreas confringeret, & vectes ferreos demoliretur: *Qui contriuit portas æreas & vectes ferreos confregit.* Nequiuit ſepulchrum corpus illud corrumpere ſanctiſſimum, quod licet oſſibus & carne conſtaret, tantæ tamen erat ſubſtantiæ & fortitudinis, vt in ſe omnem quæ illi eſt, ſubſtantiam, vireſque complecteretur.

*a Ep. de Decret. Conc. Nicen.*
*b Li. 1. Theſ. c. 13.*
*c In. pſ. 44.*
*d Pſ. 44. 1*
*I. Verbum eructare declaratur.*

Contigit morti, inquit D. Euſeb Emiſſ. quod voraci draconi quem Babylonij colebant vt Deum: etenim vt notat Lyra, doctrina ſua conſpicuus error increuerat communis apud Gentiles, illos venerari vt Deos in quibus vires agnoſcebant ſuis admodum ſuperiores, ita vt eas ſuis non poſſent euertere. Tales erant & illius draconis, qui quod tantus eſſet, iudicabat Rex quod Daniel non poſſet non confiteri illum vt Deum viuum: quia comedebat & deuorabat oues, agnos imo maiora animalia, boues & vaccas. Vt cum Daniel euerteret & deleret cibum componit robuſtiorem & ſolidiorem, duas ſumens differentes ſubſtantias, eaſque intermiſcet pinguedine ſeu adipe ita vigoroſa, vt eſſet difficillimum imo quaſi impoſsibile illum digerere, quem in bolos fruſtaque diuidens aduenienti draconi deuorandum obiecit: deuorauit eum draco, atque in ventrem ſuum traiecit. Porro cibus fuit hic adeo vigoroſus, fortis & ad digerendum difficilis, vt quamuis calore draco ferueret tanto quo etiam oſſa fortiora eorum quę comedebat decoqueret & conſumeret, nedum illum non potuerit corrumpere, ſed inſuper ex eo mortales paſſus ſit anguſtias, & quidem tales vt medius dirumperetur, & nedum cibus quem traiecerat foras proſiliret, ſed etiam multum eius quod ſtomacho ſuo continebat.

Quis draco morte voracior? Viuetes omnes abſorbet, vt non ſit poteſtas quę reſiſtat ei.

Idcir-

III. Idcirco vt ſcribit Alciatus cum ſuo commentatore: Gentiles illam ſtatuerunt in catalogo Deorum ſuorum eminentiſſimorum, quam dixerunt Deum Terminum, cum terminus ſit finiſque vincentium hac inſcriptione: *Nemini cedo.* Satis conformiter illi quod ſcripſit D. Auguſt. de Deo Termino & de eo refert, quod in concilio ſeu Deorum congregatione, omnes ſe Ioui ſubmiſerint, excepto Deo termino aliiſque duobus: cenſebant enim nullas inueniri vires, ſuis ſuperiores & quas nullus eneruaret. Ad huius recognitionem venerabantur mortem vt ſupremam omnium Deam, cui canente Virgilio varia dedicabant ſacrificia, & templum erigebant permagnificum in inſula Cades, vt ſcribit Ælian. Vt draconem illum occideret, compoſita eſt maſſa humanitatis, quam de duabus ſubſtantiis magnus ille Daniel efformauit, nempe Spiritus S in puriſſimæ Virginis viſceribus ſtellis ipſis lucidioris in illa adipem ſubſtantialem incorporans diuinæ eſſentiæ, & ſubſtantiam eiuſdem perſonæ diuinæ Verbi ſcilicet æterni.

Maſſæ huius vnitatem mirabiliter expreſſit Angelus, quando Virgini declarans illibatæ, qualiter conceptio filii Dei in vtero ſuo, quam futuram annuntiabat, opera viri non eſſet perficienda ſed eam obumbrante Spiritu S. adiunxit: *Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Nomen hoc *Sanctum* neutrius generis eſt quod ſignificat aliquid ſanctum. q. d. Spiritus S. hoc opus efficiet producens & coniungens duas illas ſubſtantias corpus & animam: & ambabus illis diuina vnietur eſſentia, ex quo naſcetur aliquid ita ſanctum, vt omnem in ſe diuinam includat ſanctitatem, eo modo vt propterea filius, qui inde proceſſurus eſt, vocandus ſit filius Dei. Hinc maſſa illa humanitatis tanta pollebat robuſta virtute vt vires eius omnes creaturarum potentiam ſint ſuperaturæ: quocumque enim illa accedebat ſolo ſuo potens contactu, imo voce curabat infirmitates, dæmones eiiciebat, mortuos ſuſcitabat. Hoc enim Apoſt. dixit D. Petr. *Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo: quoniam Deus erat cum illo.* O quanta fortitudo! O qualis vigor qui quælibet euincit! Maſſam hanc ex duobus compoſitam bolis corpore & anima iniecit draconi id eſt morti; & quamuis illa tanta vigeat fortitudine & in ventre ſuo id eſt terra, vigore vt quælibet deuoret, ſint licet Reges, ſint gigantes, ſint ipſimet leones, ſit æs ipſum & ferrum, nam ſepultum terraque reconditum conſumitur hos tamen bolos nequiuit digerere, nec quidem alterare illos ad corruptionem: imo potius tali ſunt præditi fortitudine & robore, vt illam dirumpant, eiiciendo quidquid in ventre illo limbus complectebatur.

Hoc, ni fallor, ſignificat ille terræ motus, factus Domino è ſepulchro reſurgente. *Ecce terræ motus factus eſt magnus*: quando terra cohibere non poteſt in cauernis ſuis fortes quaſdam exhalationes, dirumpunt illæ & quaſi diffringunt terram, grauem terræ motum excitantes, & educentes quod illa viſceribus retinebat. Hoc expendit D. Petrus vſus verbo illo *Impoſſibile. Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Impoſſibile tibi eſt retinere quod deglutiiſti, ſi calor ſtomachi tui non valeat illud decoquere vel ſuperare, ſicut experientia conſtat in potione medica purgatiua ſed fortiori: non enim tu tantum illam euomis, quantum illa vi ſua de ſtomacho tuo proſilit, vimque tibi infert, cum nulla ſit in te qua illam retineas.

Decimo noſter Ionas quamuis de ceto egrediatur, cuius locus proprius eſt pelagus, attamen non prodit recidens in illud, ſeu in illo remanens ſed in terra ſolida: *In aridam*: proprius enim locus mortis, ſtatus eſt mortalitatis ſignatus per mare: & Chriſtus reſurgens, ſurrexit jam immortalis: teſte Apoſtolo: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur.* Idcirco, ſicut attendit D. Gregorius ſi quidem viuens mare ſit ingreſſus vndaſque calcauerit, & marinos ſibi ſubſtrauerit vortices, ad ſuorum conſolationem: tamen poſt reſurrectionem volens ſolari eos qui in mari piſcando laborabant: *Stetit in littore*, in terra firma & ſolida littoris ſtatione. Et noſter declarare voluit Ionas, quando prodiens de ventre ſepulchri, ibidem amiculum & ſudarium reliquit. Lazarus à Domino ad vitam reuocatus prodiit de monumento *Ligatus manus & pedes inſtitis.* Vt neceſſe fuerit Chriſtum præcipere, vt ligatum illum abſoluerent. quo demonſtrabatur, quod ſic de ſepulchro prodiret, vt tamen ad illud eſſet denuo reuerſurus: quandoquidem ſecum mortis vincula deferret: vt illi qui de triremibus in terram deſcendunt, ſi vi coacti ſint, & iterum ad triremes reuerſuri, compedes & vectes ſecum deferunt talibus ad triremes damnatis debitos: ſi quis vero ſolutus excedit, nulla ſecum ferra, nulla defert vincula, pedibus manibuſque liber, indicium hoc eſt, quod numquam ſit eo rediturus.

*Mat. 28. 2*
*Act. 2. 24.*
V. Vnde oriatur ructus.
*Rom. 6. 9.*
*Hom. 24. in Euang.*
*Ioan. 21. 4*
VI. Chriſtus cur in ſepulchro ſudarium reliquerit.
*Ioa. 11. 44*

§. 8. *Multi Sancti cum Chriſto ſurrexerunt, & quinam illi fuerint declaratur.*

16 VNdecimo: prodiit Ionas noſter de ventre ceti quaſi euomitus, quantum ad hoc, quando namque magna euomis violentia, nedum euomis, & de tuo proſilit ſtomacho bolus quem comediſti nec conſumere potuiſti, ſed trahit etiam ſecum ſibique copulat multa ex iis quæ jam in ſtomacho decoxeras, & al quando quod ita incorporaueras, vt in ſanguinem venarum tuarum eſſet conuerſum. Conſidera, quod Chriſtus reſurgens non ſolus prodierit de limbo ſed ſecum etiam eduxerit quidquid mors in illo ſtomacho continebat, animas nimirum Sanctorum vt diximus: & non ſolum corpus ſuum eduxit de monumento, ſed multos etiam ſecum, quos mors in ventre terræ detinebat ita

I Quando corpora illa ſurrexerunt & quomodo. *Mat. 27. 52.*

corruptos & conſumptos, vt jam in terram puluerem que eſſent tranſmutati. Hoc teſtatur ita D. Matthæus: *Multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt.* Etenim juxta communem Sanctorum opinionem quamuis Euangeliſta hoc referat locutus de morte Redemptoris, contigit tamen in die Reſurrectionis, quando Chriſto reſurgente multi pariter Sancti reſurrexerunt. Et valde probabile eſt, quod ad vitam immortalem & glorioſi: tam vt Chriſti corpus comitarentur, quam etiam juxta D. Thom. & doctrinam D. Hieronym. vt ſtatim manifeſtam darent probationem, Chriſti reſurrectionem noſtræ cauſam eſſe reſurrectionis quam ſperamus, & quod bene dixerit, qui hoc aſſeruit: quod *Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus*: Quinam fuerunt iſti, ignoramus. D. Athanaſ. *a* D. Aug. *b* & prior vtroque Orig. *c* ſuſtinent Adam reſurrexiſſe, cuius caluaries ex multorum ſententia ſepulta erat in monte Caluariæ, & teſtari voluit Dominus ſui ſanguinis virtutem, quo montem illum copioſius irrigauit. Et conceſſo hoc de Adam, nulla videtur ſubeſſe ratio cur negandum ſit hoc de Eua. De Abraham, Iſaac & Iacob affirmant aliqui. De Moyſe indicat D. Ambroſ. *d* de Dauid opinatur D. Sophronius. *e* & expendit quod D. Petrus die Pentecoſtes aſſeuerat Dauidis ſepulchrum ibi fuiſſe: *Sepulchrum eius apud nos eſt*, non tamen dicit de illius cadauere; ita ſenſit D. Aug. *f* de tribus adoleſcentibus Anania, Azaria, & Miſaele: huic ſuffragantur D. Clemens Papa

3. *p. q.* 53. *ar.* 3. *ad* 2.
*Epiſt.* 150. *q.* 8.
*a Serm. de Paſſ. & c. u.*
*b Lib. qq. in Gen. q.* 161.
*c Tract.* 35 *in Matt.*
*d Li.* 1. *de interpon. cap.* 1.
*e Serm. de Aſſumpt.*
*Act.* 2. 29.
*f Epiſt.* 99 *ad Euod.*

*a* & Tertul. *b* & D. Irenæus. *c* hoc confirmat & ait, hoc ſignificaſſe illud quod omnes mirantur, quod nempe flammis iniectos fornacis Babylonicæ illos inde viuos & illæſos eduxerit filius Dei formæ elegantia ſpectatiſſimus apparens medius inter illos: Noe & Daniel inter illos annumerat Nicetas.

Crediderim ego etiam ſurrexiſſe S. Ioſeph Virginis intemeratæ ſponſum vt probat Gerſon. In hoc nullum hic video clarum argumentum aſſerendi quinam fuerint, nec aliquid confirmandum eſt. Porro magnam nobis tribuit Euangeliſta libertatem vt hoc credamus de ſanctis illuſtrioribus, dicendo, non fuiſſe vnum aut alterum, ſed plures: *Multa corpora ſanctorum.* Et quamuis non dicat quod ex illis eſſent qui Hieroſolymis ſua haberent monumenta, ſed abſolute loquatur, potiſſimum tamen credo capiendum de SS. illis Patriarchis, qui ſua ibi habebant ſingulari ſtudio deputata, & qui particulari cura laborauerant in terra illa ſepeliri vt patet ex cura qua Patriarcha Abraham ſtuduit ibi campum emere, ſibi ſuiſque in ſepulturam: atque ex coniurationibus quibus Iacob obſtrinxit Ioſeph filium ſuum vt mortuum corpus ſuum non ſineret in Ægypto quieſcere, ſed ad parentum ſuorum transferret monumentum, ſcilicet in Hieruſalem: atque confirmatur ex Ioſeph: hic etenim fratres ſuos obnixe rogauit, vt egredientes de Ægypto ſecum oſſa ſua deferrent in terra Chanaan ſepelienda. Certe, mea quidem cenſura, parum vna regio ſeu terra aliam præcellebat, vt ibi potius quam alibi ſepelirentur: & ſi tantum præ oculis haberent vniuerſalem corporum reſurrectionem, quælibet erat ad hoc terra opportuna; ſed opinor quod diuina luce non ſolum fidei ſed etiam Prophetiæ de longe præuiderunt, magnum noſtrum Ionam ib dem ſepeliendum, quodque egrediens de vtero ſepulchri multos ſecum educeret eorum, qui proximum ibi haberent ſepulchrum. Indicat horum aliquid D. Auguſtin. quod altero die dicemus.

Tandem quando illi qui Ionam noſtrum mari paſſionis iniecerunt ſubmergendum, eumque à ceto deuoratum conſpexerunt, ſibi perſuadebant corruptum eum eſſe atque interiiſſe, nobiſcum in numerum eorum de quibus canitur in pſalterio: *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius*: & quando ipſi præ gaudio velut triumphatores ſubſiliebant, ſibi de optato voluntatis ſuæ euentu applaudentes, quando conſpirabant: *Eradamus eum de terra*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tera vincatium* , *& nomen eius non memoretur* amplius: ipſe viuus, ipſe glorioſus, ipſe immortalis ipſe à maris tempeſtate liber triumphabat: hoc etenim Angelus boni nuntii baiulus mulieribus annuntiauit: *Ieſum quæritis Nazarenum? ſurrexit, non eſt hic*: Iam de vtero victor viuuſque prodit ceti, ad firmam littoris exit ſtationem. Ex quibus liquido conſtat, quod verbo ſuo fidelis perfectiſſime ſteterit, quando in ſignum futuræ ſuæ Reſurrectionis factum illud Ionæ vatis oppignorauit.

## §. 9. *Chriſtus Reſurrectionem ſuam legitime probauit apparens in monte Galilæa.*

17 CEterum quia ſignum hoc Dominus hominibus propoſuit, atque illis non ſufficiebat reſurgere, ſed neceſſario requirebatur, vt fieret eius reſurrectio manifeſta, ſignisque probaretur apertiſſimis: quam primum à mortuis ſurrexit, hoc egit his & illis multiſque apparens rediuiuus, & illis quidem qui viderant eum mortuum, eumq; ceteris diſtinctius agnoſcebant: vnde Euangeliſtæ referentes eius Reſurrectionem, pariter multas referunt apparitiones, quibus ſe viuum exhibuit ſpectandum, quo clare atque euidenter ſe probauit à mortuis rediuiuum. Primo, vt ait Diuus Marcus Mariæ Magdalenæ ſibi chariſſimæ: & ſimul *Prima meruit gaudia quia plus ardebat ceteris*: Deinde ſtatim eidem in comitatu exiſtenti aliarum Mariarum inter quas Eccleſia cantat fuiſſe Martham. Illæ perrexerant corpus eius vncturæ, quocirca D. Ambroſius illas vocat aquilas ad corpus congregatas, implentes illud Saluatoris: *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*. Et à D. Damaſcen. inſcribuntur *Vnguentiferæ*, quæ videntes Chriſtum rediuiuum: *Acceſſerunt & tenuerunt pedes eius*: & ſicut canit Eccleſia. *Videntes eum viuere, oſculantur pedes Domini*. Confeſtim etiam apparuit D. Petro vtpote magis indigo conſolationis. Etiam ſcribit Diuus Paulus apparuit D. Iacobo minori, qui cernens Chriſtum morientem fidem reſurrectionis tenuit ita conſtantem, vt ſicut narrat D. Hieronym. ſcribatur in Euangelio Nazaræorum iurauerit ſe neque manducaturum neque bibiturum vſque dum Chriſtum videret à ſepulchro rediuiuum. Apparuit euntibus in villam & caſtellum Emmaus, quos tanto tempore comitatus eſt, vt illis potuerit explicare S. Scripturas, eoſque ex illis plenius inſtruere, vt poſtmodum conformiter ſe illis oſtenderet viuum & à morte rediuiuum. Ad veſperam apparuit Collegio Apoſtolico, clarius ſe viuum oſtendens, & invitans ad vulnerum manuum, pedum & lateris certiſſimum contactum, ipſi oculis ſuis manuum pedumque cernerent aperturas: vtque confirmatio tanto foret certior & perfectior, permiſit vt eo tempore Thomas in fide deficeret, atque in obſtinatione ita pertinax obſiſteret, vt aliis non credens, affirmantibus ſe oculis ſuis eum conſpexiſſe proteſtaretur, ſe nec ſuis quidem oculis fidem adhibiturum, niſi pariter manibus fixuram contingeret clauorum, laterisque vulnus digitis attrectaret, quod lancea in eo aperuerat, vt hæc omnia ita perfecte fierent, vt facta ſunt, Thoma digitos manuſque infigente, vbicumque ſibi placuiſſet.

Eo modo Dominus per quadraginta dies pluribus apparuit glorioſus, potiſſimum autem hoc contigit, quando pluſquam quingentis ſimul congregatis immortalis apparuit: de quo ſic Apoſt. *Viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul, ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt: Teſtes reſurrectionis eius ad plebem*. Hæc illa fuit, vt arbitror illa promiſſa apparitio futura in Galilæa. *Poſtquam reſurrexero præcedam vos in Galilæam*. Voluit etenim Dominus argumentum dare ita clarum & euidens, vt omne dubium circa hoc myſterium toti mundo adimeret. Idcirco cunctos præmonuit ante paſſionem ſuam diſcipulos, vt ad montem hunc Galilææ ſe reciperent. Diuus Bonauentura, arbitratur montem fuiſſe Thabor, vbi ſe illis oſtenderet reſuſcitatum, quatenus hac promiſſione confirmati, non ſolum illi ſed alii plures eo tenderent ipſum viſuri, fierentque Reſurrectionis eius teſtes irrefragabiles. Et ita contigit: nam reſurgens Dominus die illo Reſurrectionis, licet octiduo poſtmodum apparuerit in Hieruſalem quibuſdam in particulari, cunctiſque diſcipulis ſuis in communi ſemel & bis: porro ſolemnē inſtituturus apparitionem, juſſit vt in Galilæam proficiſcerentur in montem à ſe deſignatum: *Abierunt vndecim in Galilæam, in montem quem conſtituerat illis Ieſus*. Quos comitati ſunt pluſquam quingenti, quidam eorum per Apoſtolos vocati, alii ſeipſos illis comites adiunxerunt, vt huic myſterio teſtes intereſſent. Idcirco locum ſtatuit montem adeo amplum qui omnes caperet quotquot accurrerent abſque vlla turbatione poſſentque clarius intueri, remoto omnis illuſionis timore,

*1. Cor. 15. 6.*

II. Solemniter pluribus apparet in monte Galilææ. *Lib. de Meditat vitæ Chriſti. cap. 94.*

*Matt. 28. 16.*

quam timere poſſent, ſi in domo vel cubiculo hæc fieret apparitio, vbi portæ ſunt & feneſtræ, vel in foro domibus circumcincto. Hinc intelligo quod dixit Angelus mulieribus, vt diſcipulis nuntiarent, quod in Galilæa cum eſſent conſpecturi: quamuis vt verum fatear, illum viderint in Hieruſalem in cœnaculo, ipſo die Reſurrectionis, & eius octaua: porro viſio illuſtrior, ſolemnior, clarior, & omnem excludens ambiguitatem, illa futura erat quam promiſerat in Galilæa perficiendam. Eo igitur loco in monte Thabor celebrata fuit illa ſolemnis apparitio, vbi pluſquam quingentis ſimul glorioſus apparuit. Tu iudex eſto, an conuenienter probatus ille ſit articulus quingentis teſtibus, cunctis conteſtibus oculatis & congregatis. Tandem poſt aſcenſum in cœlum apparuit D. Paulo. *Nouiſſime viſus eſt & mihi*: vt cum ille futurus eſſet huius articuli primarius annuntiator, poſſet illum ex viſu teſtari manifeſto.

18 Vna communiter circa hoc obiicitur difficultas, cur ſcilicet Dominus noſter à tumulo rediuiuus voluerit apparere primo mulieribus, quam collegio ſuo Apoſtolico, ipſaſque reddere primas prædicatrices & huius annuntiatrices myſterii: Eſt hoc maxime arduum inter alia fidei noſtræ Catholicæ myſteria, & huic non videtur conuenire, vt illud primo mulieribus indiceretur, ipſæque ſint quæ primo hoc aliis prædicent: etenim notum eſt illud principium ab Ariſtotele cunctiſque Philoſophis ſtatutum vt veriſſimum, ſexum femineum fraudibus doliſque facile illaqueari. Idcirco iura decernunt communia, earum non valere donationes, viris ſuis conceſſas. Et ait Baldus iuſta eſſe decreta quibus decernitur inualidos eſſe contractus quos ineunt, niſi parentibus præſentibus: quia poſſunt ex ſe nullo ſeduci negotio. Nec ſolum patent fraudibus & illuſionibus, ſed etiam inſtrumenta ſunt quibus frequentius diabolus vtitur vt decipiat; ab exordio mundi cœpit per Euam primam mulierem; quæ prima & ſeducta fuit & ſeduxit, vt alias expendimus. Elegit Dominus Apoſtolos ſuos, viros ſcilicet potiſſimum vt eſſent teſtes Reſurrectionis ſuæ vt dixit D. Petrus, & numquam huic prædicationis miniſterio mulieres deſtinauit. Vt quid igitur modo myſterium hoc omnium ſupremum mulieribus reuelat, illaſque eius eligit prædicatrices omiſſis Apoſtolis illiſque poſtpoſitis? Videtur quod eo ipſo quo dicerent illæ ſe vidiſſe Chriſtum de monumento viuentem, omnes hoc vt riſum fraudemque illuſuros, & præſtigia fuiſſe credituros, atque ab aliquo fuiſſe deluſas pro more feminarum. Et ita narratur contigiſſe: nimirum illis myſterium hoc Apoſtolis nuntiantibus, & Angelorum ſe dignatas fuiſſe viſionibus aſſerentibus: *Viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta, & non crediderunt illis.*

III. Cur primo mulieribus apparuerit.

IV. Obiectio

*Lib 8. de Animal. 1*

*Apud Tir. quel. de legib. com. l. 1, n. 76. & ſeqq.*

*Hom 25. prae.*

Ex ratione procedit Dominus. Primo: tum vt ait D. Hieronymus aducrſus morem Dei, quod viris deficientibus, mulieres aſſumat tum vt brachii ſui potentiſſimi declaret efficaciam, quam vt viros pudore confundat effeminatos. Ita perpendit in Duce Barac: cum enim inimicos vereretur populi Dei, & arma puſillanimis proiiceret, excitauit Deus feminam illam toto orbe notiſſimam Debboram, quam creat Deus propheciſſam, & iudicem omni populo Iſrael. Deinde per temporum decurſus viris deficientibus qui Dei honorem tuerentur, ſubſtituit illis inſignem illam Propheciſſam Holdam. Inſuper poſtmodum aberrantibus à vero ſanoque conſilio ſacerdotibus in Bethulia, & fortioribus militibus animo deſpondentibus, caſtiſſimam produxit in arenam Iudith ſalutis totius populi primam originem, cuius brachii fortitudine ſuperbiam confudit Aſſyriorum: vt cantare toto potuerit pectore: *Non cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gigantes oppoſuerunt ſe illi, ſed Iudith filia Merari, in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum.* Ita modo egit Dominus. Viri defecerunt, quos in teſtes myſteriorum ſuorum elegerat: ſubtraxerunt ſe timore puſillanimes ex eo quod in Paſſione Chriſti contigerat. Hac tempeſtate mulieres non deſiderantur, ſed animoſæ feruent, & patientem ſequuntur intrepidæ: deinde ipſo ſepulto, quando viri illi vecordes ſe ſubduxerant, illæ nihil veritæ crudelem Iudæorum rabiem, ad ſepulchrum conuolant odorifera conferentes vnguenta; ille ſint igitur quæ primitias gaudii rapiant Reſurrectionis, illæ virorum locum viris modo vacuum ſuppleant honoratiores.

Neminem vt arbitror latet hiſtoria, quam alias expendimus, & refertur à Spiritu S. in particulariter & omnibus appoſite circumſtantiis, vt auſim affirmare pluribus eam ſcatere myſteriis. Vterum gerebat Thamar nurus Patriarchæ Iudæ, duobus grauida gemellis. [illegible] partus hora: dolores increſcunt acerbiores: prodit vnus dictus Zaram manumque extendit, & robuſtior altero futurus videbatur, vnde continuo filum illi rubeum obſtetrix alligauit, dicens: hic erit primogenitus. Ingraueſcentibus matris cruciatibus, retraxit ille manum & ſe abſcondit

ſe abſcondit. Eadem hora alter nominatus Phares, qui debilior videbatur prodit totumque corpus profert in lucem. O filium fortiſſimum, tibi debetur primogenitura, vt minorennis cenſebitur qui viribus deficiens ſe ſubtraxit: cum enim primo vires exeruiſſet, oſtendens quaſi fortior eſſe, ſe ſubtraxit imbellis animi. Hoc hodie contingit, vt enim præteritis diebus enarrauimus mater illa ſanctiſſima (*Mater honorificata ſeu à Spiritu S. dicta*) Chriſti humanitas omnes nos geſtabat prægnans in vtero nos ad filios Dei parituta, doloribus paſſionis crucisque ſtimulata. His igitur increſcentibus; viri brachium manumque produxerunt, ſe viros exhibentes, quibus primatus gaudiorum Reſurrectionis Chriſti deberetur. Quot promiſſa Chriſto iurarunt Apoſtoli in cœna fidelitatis! Quoties repetiuerunt animo feruentes quod illi in vita & morte comites adhærerent indiuidui? Ipſos Chriſtus promiſſo illo ſignauit, quo dixit: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis &c. vt edatis & bibatis &c.* Doloribus incrementum accipientibus ſubtraxerunt ſe, nam capto Domino omnes illico fugam inierunt. Eadem hora ſubintrant mulieres, illum ſequuntur, aſſociant, deplorant, ſepeliunt, nec curant Phariſæos, ad ſepulchrum proficiſcuntur, vnguenta deferunt pretioſa, mortuo fideles obſequuntur: illis igitur tribuantur primatus, & huius gaudij rapiant gratiſſimas ſibi primitias: illæ ſint quæ prima deferant lætiſſima nuntia, & quibus cæleſtis huius myſterij publicatio commendetur.

Secunda ſit illa ratio quæ clarius hoc exponat quia viri illi fuerunt effeminati, & mulieres ſe viriles. Domeſtice nota eſt illa D. Pauli doctrina, quod in myſteriis Chriſti glorioſis ſeu gaudioſis nihil referat eſſe virum, vel mulierem, Græcum aut barbarum, liberum ſiue ſeruum: *In Chriſto Ieſu non eſt Iudæus neque Græcus: non eſt ſeruus, neque liber: non eſt maſculus neque femina &c.* Ad merendum coram Deo hoc maximi refert operari in gratia & charitate, ſit quicunque fuerit, vir ſiue mulier, nobilis aut ſeruus, quicumque enim in hoc præcurrerit pariter in gloria & gaudio cæteros antecedet. Viri illi effeminati fuerunt, & operati ſunt vt debiles mulieres: eo quod timore perculſi fuga ſibi conſuluerint. Feminas autem illas animoſas vocat viragines, vt Deus vocauit Niniuitas, quando videlicet illam ſunt amplexi pœnitentiam: *Viri Niniuitæ*: Viros illos ſcribe mulieres, ſicut poſtmodum Propheta Nahum quoſdam milites quia vecordes fuerant, appellauit feminas: *Populus tuus omnes mulieres.* Et Deus quoſdam prædicatores effeminatos, de quibus ita vates Ezechiel: *Dic ad filias populi tui.* Perpende quænam ad Dei famulatum opera facias: verum viriliter te promoueris, vel te ſubtraxeris, etenim qualia iſta fuerint talia tibi Deus exhibebit dona beneficiorum, ſis Dominus, ſis famulus, ſis vir, ſis mulier: ſis ſapiens, ſis ignorans. Et fieri poſſet, vt in hodierna hac feſtiuitate nonnullæ ſint mulieres quibus Dominus gaudia contulit Reſurrectionis ſuæ copioſiora, quam multis viris: & communis populus ac ſerui dona receperint ſpiritualia multo eminentiora quam eorum Domini ſupremique Principes. *Nahum 3. 13.* *Ezech. 13. 17.*

§. 10. *Primo omnium apparuit Dominus Matri ſuæ Sanctiſſimæ à mortuis rediuiuus.*

QVamuis S. Scriptura non meminerit quod Dominus Sanctiſſimæ matri ſuæ rediuiuus apparuerit, communis tamen habet Sanctorum opinio, quod primo omnium illi glorioſus apparuerit etenim paſſim nemo ignorat Theologorum regulam, quam adducit Theologiæ Princeps D. Thom. quod omnia dona, fauores, & gratiæ aliis collatæ Sanctis, quarum Virgo capax erat, huic Virgini conceſſæ ſint modo plane eminentiori, dicique poteſt illi: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Mortuus eſt Chriſtus Dominus die Veneris ad ſolis occubitum: illico deſcendit anima eius ſanctiſſima ad limbum, vbi ſicut dictum eſt, eius aduentus omnes iuſtorum animæ præſtolabantur ab ipſius mundi primis incunabulis: qui iam quod expiarent, non habebant in ſuorum criminum ſupplicium. Ibi hærebant primæui noſtri parentes Adam & Eua: qui ſicut primi fuerunt in culpa, fuerunt etiam in pœnitentia. Ibi iuſtus Noe, per arcam humani generis conſeruator. Ibi pater fidei & credentium Abraham, filius eius obedientiſſimus Iſaac, nepos eius Pater duodecim Patriarcharum Iacob. Ibi patientiæ ſpeculum Iob, manſuetudinis exemplar Moyſes, primus ſummus legalis ſacerdos Aaron, eiuſque ſoror Maria. Ibi dux inuictus Ioſue, fortiſſimus Samſon, illuſtriſſimus Rex Dauid, illique ſancti Prophetæ qui tanta pro Dei honore pertulerunt aliique innumeri. *3. p. q. 17. ar. 5.* I. Qui iam fuerint in limbo

Quando mortuus eſt piiſſimus ſenex Simeon, quod ex ſententia DD. SS. Græcorum, contigit

 non

non diu poſtquam oculis ſuis Chriſtum puerulum conſpexiſſet, vt ipſe rogauerat, quando cecinit: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Illuc ingreſſus ſumma cunctos recreauit conſolatione, dicens quod iam Saluator eſſet in mundo, quem propriis conſpexerat oculis, & brachiis inter vlnas conſtrinxerat. Numerum adauxit innumerabilis SS. Innocent. Martyrum exercitus, qui ſtatim ſubſecuti ſunt facti teſtes ab eo ſe trucidatos, qui Chriſtum quærebat occidendum. S. Ioſeph quem credo mortuum circa trigeſimum annum Chriſti, cum iam ſe verbi prædicationi & manifeſtationi in mundo accingeret, eo deſcendit, & maximo omnes gaudio & ſolamine refecit, illud adferens nuntium quod illum in mundo reliquerat viuum, quem vt filiũ

II. SS. Patrũ in limbo gaudium. educauerat. Quando demum Herodiano cæſus eſt gladio D. Ioan. Bapt. factus præcurſor deſceſſus Chriſti ad limbum, vt fuerat aduentus eius in mundum, illis lætitiam gaudiumque duplicauit. Omnes igitur cum Dauid, vt muſices directore piiſſimis ſe recreabant threnis hoc iterato repet-

Pſal. 41. 1. tendo: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima. &c.* Quo momento Dominus expirauit, deſcendit anima eius ſanctiſſima, locumque illum luce totum impleuit cœleſti, & ſingulis eorum gloriam infudit beatificam, factuſque eſt limbus ille Paradiſus. Quis gaudium SS. patrum quis lætitiam explicet? quis repetita nar-

Luc. 1. 68. ret iucundiſſima cantica: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit &c.* Quis comprehendat qua mentis gratitudine Chriſtum exceperint? Quas gratiarum actiones primæui retulerint Patres? Quæ colloquia fuerint SS. Patriarcharũ? Quos illi modulos lætitiæ cecinerit Pſalmiſta Dauid? Quis ineffabilem animæ Redemptoris hilaritatem aſſequatur, cum tantum iam cerneret ſuæ Paſſionis emolumentum, & prouentum meſſemque adeo opulentam ex tribulationibus quas mœſta ſeminauerat?

Cum SS. illis moratus eſt Saluator noſter
20 quod ſuperfuit temporis diei Veneris, toto Sabbato & parte Dominicæ. Ipſo die Veneris ſepultus eſt Dominus: huic actui adſtiterunt SS. eius Mater, quæ poſtmodum ad ſuum ſe recepit cubiculum. Perpendunt SS. Patres, quod ſecum ſpineam coronam clauoſque detulerit. Quis la-

III. B. Virginis mœror ex morte filij ſui. crymas eius, quis gemitus, quis exprimat ſuſpiria? *Magna eſt velut mare contritio tua.* In mare toto fluunt impetu omnes aquæ fluuiorum. Dolor & triſtitiæ qua ceteri affliguntur ſunt velut riui particulares: hic triſtatur quia mortuus eſt

illi pater, ille ob diſceſſum matris: alter quia filius illi chariſſimus interiit: illa maritum defunctum: iſte viſum oculorum, lugetque alius valetudinis amiſſæ iacturam. Domina hæc mare eſt triſtitiarum: quia hæc omnia deplangit ſibi erepta: Chriſtus etenim erat illi pater, filius, dilectus, diuitiæ, ſalus, omne bonum &c. Audiamus D. Bernard. Senenſis admirabilem de Virginis mœrore cenſuram: *Tantus fuit dolor Virginis, quod ſi in omnes creaturas, quæ pati poſſunt diuideretur, omnes ſubito interirent.* Notum eſt cor ex dolore comprimi, qui ſi magnus ſit, illud præfocat, & ſi hic ſufficiat diuiſus inter omnes viuentes creaturas, vt omnes illas occideret, quid non vnitus in virgine mœror hic efficiet? Porro cor illi diuina Deus virtute confortauit, potiſſimum autem ex ſpe Reſurrectionis qua illa ita confiſa erat, vt eam ob cauſam cum aliis mulieribus profecta nõ ſit corpus eius inunctura. Certe pietate & amore non flagrabat illa minori erga Chriſtum (inquit D. Bern.) quam aliæ piiſſimæ mulieres: verumtamẽ non pergit filij corpus vncturã: nouerat enim fruſtra vnctionem illi præparari, qui ſtatim erat de tumulo ſurrecturus.

Illuceſcente tertia die, vt vidit iam terminum adeſſe deſtinatum, lacrymis vbertim perfuſa, ſuſpiria emittens ardentiora, quibus aera incendebatur, nouis cœpit nœnijs anhela cantare *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara.* Exurge, reuiuiſce gloria mea, reuertere in mundum illuſtriſſime triumphator: adeſto paſtor optime, gregem tuum congrega diſperſum: exaudi filij mi mœſtiſſimæ matris tuæ clamores: cumque illi partim occaſio fuerint deſcenſus tui de cœlis in terram, illi te prouocent vt de limbo in mundum glorioſus reuertaris. Voces illæ gemebundæ Dominum permouerunt vt Reſurrectionem ſuam anticiparet, nec exſpectaret vſque dum tertia dies perficeretur, cum tamen dixiſſet: *Poſt tres dies reſurgam.* Notat D. Bonauent. Virginis merita præclariora filij ſui opera acceleraſſe, eius nempe Incarnationem, & miracula: quocirca ſic nonnulli declarãt illud, quod illi Chriſtus ad nuptias in Cana Galilææ dixit petenti miraculum: *Nondum venit hora mea,* nihilominus obtinuit, vt horam præueniret faciendi miracula. Idem videtur poſſe de Reſurrectionis hora confirmari. Optime prælocutus eſt Iacob de hoc myſterio. *Requieſcens accubuiſti vt leo & quaſi leæna quis ſuſcitabit eum?* Fili mi ſomno requieſce mortis vt leo, & quis te vt leænam à morte ſuſcitabit? Expendit D. Epiphanius leænam catulum ſuum partus vt fruſtum carnis, ad inſtar mortui,

mortui, quem talem conſpicata circumcirca rugitus edit horrendos, linguaque per triduum demulcet, illi acclamat, in hanc & alteram vertit partem, die vero tertio quaſi maternis rugitibus excitatus aſſurgit factus leo formoſiſſimus. Sic mœſtiſſimæ contigit Virgini. peperit enim filium ſuum mortalem: quem diebus hiſce videt plangitque mortuum. O quales rugitus! quæ ſuſpiria! qui circum illum gemitus! iam caput eius conſiderabat ſpinis vndequaque tranſfoſſum, iam manus clauis perforatas, iam linguam felle & aceto amaricatam &c. Quos edit triſtiſſima rugitus! Excitant hi à morte leonem.

Per conſiderare poſſumus ad voces has dilectiſſimæ matris ſuæ Chriſtum SS. Patribus illud dixiſſe varis Iſaiæ: *Ad me clamant ex Seir.* De mundo clamores ad me mittit mater mihi chariſſima: quocirca ad primam auroram prodit anima illa ſanctiſſima de limbo pariter omnes illos ſecum educens. Corpus ingreditur in ſepulchro mortuum, & vitam infundens illi iam gloriſam efficit illud adeo reſplendens & fulgidum, vt illud nulla valeat lingua declarare. Dote igitur ſubtilitatis beatum clauſo prodit ſepulchro, & illico ad puriſſimæ Matris ſuæ ſeceſſum tendit interiorem: illum ingreditur ſole formoſius. O bone Deus, quis materni pectoris iubilum explicet quis fari poſſit gaudia? Si dicere poſſit quod *S. eundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificauerunt animam meã,* & dolores fuerint quales diximus, mare immenſum, qui inter viuentes diuiſi cunctos ſufficerent occidere: quale illud fuiſſe gaudium arbitramur? Mare iterum immenſum vt neceſſe fuerit, à Domino cor illi corroborari, ne dirumperetur, & præ nimia diuideretur alacritate: ſicut enim exceſſiua poteſt interimere triſtitia, ex eo quod conſtringat cor: poteſt etiam exceſſiuum gaudium ex eo quod illud nimis dilatet & amplificet. O quales amplexus! O quæ cordis iubila! Illuc SS. illi Patres acceſſerunt ex tanta ſtupefacti pulchritudine toti effuſi coram illo in gratiarum actiones, vtpote quia medium ipſa fuerat repabationis noſtræ & ſaluationis. Hæc ſunt feſta Paſchalia, illa nobis talia Deus largiatur, vt illa hic per gratiam læti celebrantes iiſdem in altera vita beati gaudeamus. Amen.

Rectione gaudium. Pſ.93.19.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ QVADRAGESIMÆNONÆ SEQVENTIS.

EXcellentiſſimus eſt Reſurrectionis Dominicæ triumphus, eumque ita diuinẽ Propheta regius decantauit, vt diabolus hac muſica perterritus fugam arripiat, & quidem multo velocius, quam ob eam quam coram Saule cecinerat. *a.* Tria declarat. *b.* Primum: triumphatorem hunc verum eſſe Deum. *c.* Secundum: quinam ſint deuicti: tres ſcilicet diabolus. *d.* mors. *e.* & Iudæi qui illum execrabantur. *f.* Tertium: in cuius commodum triumphus hic ceſſerit & victoria. *g.* Tandem finem imponit Eccleſiaſtes, proteſtatus quandoquidem ſuo ipſe muneri ſatisfecerit, auditores videant ne ſuæ deſint obligationi. *h.*

*a* §. 1. *b* §. 2. *c* §. 3. 4. *d* §. 5. 6. *e* §. 7. *f* §. 8. 9. 10. 11. *g* §. 12. *h* §. 13.

1. §. *Quia in Pſalmo ſexageſimo ſeptimo decantatur triumphus Reſurrectionis Chriſti, timet, fugitque diabolus dum cantatur.*

§. 2 *Tria declarat David quibus triumphus Reſurrectionis Domini redditur illuſtriſſimus.*

§. 3. *Supremum opus Chriſti, quo ſe Deum manifeſtauit, fuit ſuiipſius reſuſcitatio.*

§. 4. *Opus hoc Iacob eleganter deſcripſit ſomno leonis.*

§. 5. *Excellentiſſime per Reſurrectionem Chriſtus de diabolo triumphauit, quem ita confregit, vt ipſemet D. Antonio teſtatur*

§. 6. Opti-